MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80156-2

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR: ARNAUD, CHARLES

TITLE: QUID DE PUERIS....

PLACE: PARISIIS

DATE: 1887

Master Negative #

91-80156-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


878V832
DZ8
Arnaud, Charles, 1850-1909.
Quid de pueris instituendis senserit Ludovicus Vives ... Parisiis, Picard, 1887.
112 p. 23½ cm.

Bibliography, p.6-7.
Thesis. Paris.
VOLUME OF PAMPHLETS

16967

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA [IIA] IB IIB
DATE FILMED: 8-12-91 INITIALS MT
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
Inches
1 2 3 4 5
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Vives, Juan Luis 1492-1540
no. 2
878V8=
II/28

QUID DE PUERIS INSTITUENDIS

SENSERIT

LUDOVICUS VIVES

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

Carolus ARNAUD

PARISIIS
APUD A. PICARD EDITOREM
82, VIA DICTA BONAPARTE, 82
—
MDCCCLXXXVII

QUID DE PUERIS INSTITUENDIS

SENSERIT

LUDOVICUS VIVES

TOLOSAE. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

QUID DE PUERIS INSTITUENDIS

SENSERIT

LUDOVICUS VIVES

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

Carolus ARNAUD

PARISIIS
APUD A. PICARD EDITOREM
82, VIA DICTA BONAPARTE, 82
—
MDCCCLXXXVII

DEFUNCTIS

PATRI ET AVUNCULO

Joanni et Francisco ARNAUD

QUI ME EODEM PATERNO AFFECTU AMPLEXI SUNT

PIAE MEMORIAE

PARVULUM HOC MONUMENTUM DEDICAT

C. A.

PROOEMIUM.

Cum de puerorum institutione emendanda atque instauranda scriberet Vives, circa annum 1525, operi jam inchoato sese socium addebat. Nihil enim circa finem quinti decimi et initium sexti decimi seculi, acrius sibi proposuere eruditi viri quam ut « ignaris *sibi* cognita praeciperent (1) » ac proinde optimas erudiendae juventutis rationes excogitarent. Praeeuntibus in Italia Laurentio Valla, in Hispania Antonio Lebrixensi, in Germania Rodolpho Agricola et Melanchtone, in Alsatia Dringerbergio et Wimphelingio, Lutetiae Jacobo Fabro Stapulensi et Guillelmo Budaeo, in Anglia Thoma Moro, in Batavia seu potius in plerisque Europae occidentalis partibus Erasmo, scholae simul ac litterae renascebantur. Sed multum aberat ut tantum opus ubique vel initum vel perfectum esset. Veteris institutionis ratio veneranda videbatur et ipsa perpetuitate firmata immo et vetustate consecrata. « Arcem ignoran-

(1) Tandem ubi doctus eris, reliquum est bene vivere cures
Ignarisque tibi cognita praecipias. Jod. Bad.,
a F. Buisson cit. in liminari epistola hujus operis quod inscribitur : *Répertoire des ouvrages pédagogiques du seizième siècle* (Lutetiae, MDCCCLXXXVI).

tiae (1) » tuebantur antiquae Universitates et hanc impugnabant renascentium litterarum fautores; acerrimo et quotidiano praelio hi et illae conflictabantur, et victoria usque ad finem sexti decimi seculi dubia atque incerta haesit : *tantae molis* erat scholasticam eruere et litteratam *condere gentem !*

Inter omnes qui, hac aetate, sese bonis litteris restituendis dedere, tres eminent praecipui quos libenter vocaverim, exemplo usus superiorum scriptorum, « triumviros » hujus litterariae reipublicae in suum pristinum decus ac dignitatem restitutae, Erasmus scilicet, Budaeus et Ludovicus Vives.

Ex his vero tribus Vives praestare judicio, dum Erasmus ingenio et Budaeus eruditione, communiter apud aequales dicebatur. Non minus ergo quam Erasmiana et Budaeana, Vivica (2) de pueris instituendis doctrina digna est ad quam attente respiciamus, cum in tali re plus judicium quam eruditio et ingenium valeat. Adde quod posteriores nonnulli Vivem altius quam aequales extulere, quippe qui eum cum Bacone et Cartesio (3) conferre, immo et iisdem parem facere in emendanda et instauranda studiorum « methodo » non dubitaverint. Utrum veritati apte respondeat hujusce modi comparatio, an

(1) Lud. Vivès, *In Pseudo-Dialecticos*, Opera, tom. II, p. 38 (Valentiae Edetanorum, MDCCLXXXII).

(2) Hoc adjectivo nomine utitur ipse Vives, *In Pseudo-Dialecticos*, p. 47.

(3) Emilio Castelar (apud Massebieau, *Colloques scolaires*, citat.) et P. Andrès. — Cf. Namèche.

potius solitas Hispanorum ampullas tantum sonet, nostrum erit in hac disputatione ostendere.

Jam vero hoc compertum habemus eumdem Vivem de puerili institutione disserentem esse et testem et censorem et praeceptorem. Propria enim experientia, quae hac aetate esset et quibus indigeret illa ars educandi in Occidentalibus Europae partibus noverat. Academiam Valentinam et Parisiensem discipulus frequentavit, Lovaniensem et Oxoniensem magister; multos amplissimo genere liberos privatim docuit, in primis Mariam Tudor, Henrici VIII, regis Angliae, filiam. Non ergo nobis res est cum homine qui de pueris et de puerilibus studiis oratorio vel philosophico more declamet, sed cum eo qui totam materiam ipse attigit et tractavit, qui scholarum vitia discipulus sensit, et remedia idonea magister tentavit, qui demum legibus quas praecipit ipse prius usus fuit.

Multos scripsit de puerili institutione libros, quorum alii ad universam hujus institutionis rationem, alii ad quasdam artes pueris tradendas spectant. Quorum priores sunt :

1° *Duae Epistolae de Ratione Studii puerilis* (1),
2° *De Institutione feminae Christianae* (2),
3° *De Officio mariti* (3),
4° *De Causis corruptarum artium* (4),

(1) Anno 1523 scriptae, editae anno 1528.
(2) 1523, edit... 1528.
(3) 1523, edit... 1538.
(4) 1531.

5° *De Tradendis Disciplinis* (1).

Posteriores vero :

1° *In Pseudo-Dialecticos* (2),

2° *De prima philosophia* (3),

3° *De Explanatione cujusque essentiae* (4),

4° *De Censura Veri* (5),

5° *De Instrumento probabilitatis* (6),

6° *De Disputatione* (7),

7° *De Ratione dicendi* (8),

8° *De Conscribendis Epistolis* (9),

9° *Exercitatio linguae latinae* (10).

Aliud Vives *De Constituenda Schola*, sermone Lemovicensi, scripserat opus quod ad nos non pervenit et quod nec a Majansio, qui tam accurate Viviana opera edidit, nec a Nameche qui de iis optime disseruit, nec a me qui hoc commentariolum scribo, inventum fuit nec in Valentina nec in Lovaniensi bibliotheca (11).

Inter quos omnes quatuor et viginti libros hi duo maxime celebrati fuere qui inscribuntur : *De Causis corruptarum artium* et *De Tradendis Disciplinis*, in

(1) 1531.
(2) 1519.
(3) 1532.
(4) 1532.
(5) 1532.
(6) 1532.
(7) 1532.
(8) Anno 1532 script., edit. 1533.
(9) 1536.
(10) 1538.
(11) Cf. Majansium, *Vivis Vita*.

quorum altero Vives censorem et in altero praeceptorem totius puerilis disciplinae se praebet. Primum nobis in mentem venerat eumdem in nostra disceptatione ordinem sequi, atque prius exponere quid Vives in pueris instituendis reprehenderit et posterius quid praeceperit. Sed mox animadvertimus ex hoc consilio multa incommoda oritura, et praesertim jam dicta haud semel retractare necessarium esse futurum ; quod quidem Vives non vitavit, non culpandus tamen, quippe qui multa scripserit multumque scripta amplificaverit, quod vero nobis rem breviter contrahentibus minime licere existimavimus. Quid ergo in unaquaque re reprehenderit et praeceperit Vives simul et in unoquoque capite dicemus, totamque materiam in quinque capita partiemur :

1m *De totius disciplinae fine.*

2m *De primis pueri magistris, seu de parentibus. — Expediatne matres doctas esse ac proinde ne puellas erudire ?*

3m *De Schola et Magistris.*

4m *De Artibus quas pueri edocendi sunt. — De earum numero et ordine. — De ratione eas tradendi. — De earum unaquaque separatim.*

5m *Conclusio*, qua Vivis partes et locum inter puerorum magistros breviter notare conabimur.

Additur hic brevis index praecipuorum librorum in quibus RECENTER *vel de Vive vel de ratione pueritiae instituendae XVI° seculo usurpata jam tractatum fuit.*

I. *Joannis Ludovici Vita*, auctore Majansio, qui Nostri opera omnia edidit Valentiæ, 1782 (1).

Mémoire sur la vie et les écrits de L. Vives, ab A. J. Namèche, Universitatis Lovaniensis rectore, 1842.

Les Colloques scolaires. Massebieau, II^ae^ partis, II^i^ libri, II^um^ caput, 1878.

Les précurseurs de la Réforme aux Pays-Bas. Altmeyer, 1886.

II. *De l'Organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris au moyen âge.* Thurot, 1850.

Notices et extraits des manuscrits : Extraits des manuscrits latins pour servir à l'histoire des doctrines grammaticales au moyen âge. Thurot, 1869.

De Alexandri de Villa Dei Doctrinali. Thurot, 1850.

Histoire critique des doctrines de l'éducation. Compayré, tom. I, lib. I, 1878.

Erasme, précurseur et initiateur de l'esprit moderne. Durand du Laur, 1872.

Erasme. G. Feugère, 1874.

(1) Ex illa editione omnes loci in hoc opusculo relati sumuntur.

Quid de puerorum institutione senserit Erasmus. A. Benoist, 1877.

De Ciceroniano bello apud recentiores. Lenient, 1855.

De Rodolpho Agricola, litterarum in Germania restitutore. Bossert, 1865.

Guillaume Budée. Rebitté, 1846.

Vie de Budée, par Eugène de Budé. Paris, 1884.

Ramus. Waddington, 1855.

Etudes sur la Renaissance, Nisard.

Etude sur J. Geiler. Abbé Dacheux.

Etude sur Sturm. Schmidt, 1855.

Etude sur Baduel. Gaufrès, 1880.

MÉMOIRES ET DOCUMENTS SCOLAIRES PUBLIÉS PAR LE MUSÉE PÉDAGOGIQUE. Fascicule n° 3. *Répertoire des ouvrages pédagogiques du XVI^e^ siècle*, 1886. Fascicule n° 2. *Dialogus Jacobi Fabri Stapulensis in phisicam*, etc. Massebieau, 1886.

QUID DE PUERIS INSTITUENDIS

SENSERIT

LUDOVICUS VIVES

CAPUT PRIMUM.

DE TOTIUS DISCIPLINAE FINE.

Deus, disciplinarum omnium finis. — Num a Deo avertant litterae aut profanorum libri ? — Quomodo solvatur haec pervetus quaestio ?

« Finis hominis, quem alium possumus statuere quam Deum ipsum (1) ! » exclamat Vives repente abreptus illo oratorio impetu quo abripi solet, etiam tum cum dialectico more argumentatur. « Convenit ergo ut primus ad scientiam aditus sit per Deum qui ejusdem scientiae ultimus finis est. » Pietas erga Deum una sola via est pueri recte instituendi et ad illam virtutem ducendi, sine qua homo etiam « arti-

(1) *De Tradendis*, lib. I, c. IV, p. 255.

bus edoctus ignominia dignus est et dedecore (1) » qua vero instructus, « summis evehitur laudibus » quamvis « nullas artes omnino teneat. »

Quid eloquentius dici potest ad confutandam opinionem eorum qui Restitutores litterarum pietati ac religioni infensissimos esse tunc existimabant? Splendido sane exemplo cum vita tum scripta ipsius Vivis ostendunt quam intima societate, quam stricto vinculo conjungi possint pietas et eruditio.

Fuisse vero homines, qui XVI° saeculo hanc societatem nullo pacto existere posse duxerint et qui clamarint « ex litteris haereses, schismata, Antechristos nasci », « haeresim esse scire Graecas linguas », « linguas esse omnium errorum seminarium (2), » difficilem esse *Transitum Hellenismi ad Christianismum* (3), uno verbo litteras esse tum fidei, tum morum corruptelam, Vives et cum eo Budaeus et Erasmus pariter testantur (4). Eorum enim unicuique necessarium visum fuit tam miram opinionem confutare. Adversus eam, serio et omnibus dialecticae adjumentis fulcitus, argumentatur Vives.

(1) *De Tradendis disciplinis*, 249, 255, 256.

(2) Erasmus, *Epistol.*, 595; *Antibarbar.*, lib. VIII.

(3) Sic inscribitur liber quidam Budaei in quo ostendere conatur nequaquam Christianismo obstare Hellenismum.

(4) Budaeus aegre fert « criminationem litterarum graecarum, quasi errorum seminarii » (*De studio litterarum recte et commode instituendo*). Ibidem addit : « Nuper tamen homines... exstiterunt... qui linguae graecae peritiam, litterarum haud dubie bonarum magistram, pravarum opinionum institricem esse fremuerunt et assertricem. » — Cf. Rebitté, *Guillaume Budée*, p. 181, 188.

Primum quorumdam eruditorum fidem infirmam ac minutam esse confitetur : « In multis, ait, artes atque eruditio religionem solent deterere ac pejoris conditionis facere. » Sed quantumvis luctuosa sit horum exemplorum pestis, nulla criminatio in litteras ac eruditionem ex ea inferri potest. Culpa est eruditorum, non eruditionis. « Quid meruerunt, exclamat, miserae linguae? Cur potius vera et exacta Latina haereses adferret quam corrupta et neglecta? Quasi non omnes pene haereses e pravo sanctarum litterarum intellectu nascantur, quod necesse est iis contingere qui linguas eas ignorant quibus Scripturae sunt proditae (1). » Quam objurgationem sequitur hic scholastico more instructus Sorites : « Utrum est in voce haeresis an in re? Stultum est in voce dicere. Est ergo in sensu et re. Atqui res et sensa non sunt linguae (2). » Ergo in linguis nequit esse haeresis. Instat iterum Vives et hoc *argumento ad hominem* utitur : « Dicet aliquis » ex iis pseudo dialecticis et scholasticis qui Aristotele et Averroe solum gaudebant : « Haeresis est iis sensis quae linguis sunt tradita. Age, quorum auctorum? Philosophorum qui theologis christianis maxime periculosi sunt? An oratorum et poetarum qui omnino doctrinae christianae extranei sunt? Tu vero, qui me nolis Ciceronem et Virgilium legere, Aristotelem Averroem, Porphyrium noctu diuque evolvis. » Ergo vel haereti-

(1) *De Causis*, lib. II, p. 89.

(2) *De Causis*, lib. II, p. 90.

cum in legendo vel ineptum in ratiocinando te fateare necesse est! — Longius urget quam nobis opus esse videatur. Omitto ergo argumenta ab historia petita, quibus demonstrat Patres Ecclesiae ac theologos priorum christianorum temporum litterarum gloria simul ac puritate doctrinae claruisse, ut citius veniam ad confutationem alterius criminis litteris illati, scilicet eas moribus plus quam fidei perniciosas evadere.

Cujus criminis gravitas Vivem minime fugit : « Hoc loco, ait, justissima occurrit de libris profanorum hominum legendis gravior quaestio et cura dignior (1) ! » Pervetus quidem quaestio et quaque aetate renovata, nam a nono seculo usque ad nostrum saepius in contrarios sensus christianorum animos diduxit (2).

Vivicus vero sensus et pietati et litteris simul mire congruit. Fatetur primum multis profanis scriptoribus « inesse multum malitiae ac fraudum, plurimumque veneni quod eo periculosius est quo melle magis est temperatum (3). » Quod est autem illud venenum? « Multorum vitiorum, ait, laudes, ut superbiae, irae, crudelitatis, admirationem atque adorationem potentiae, opum, voluptatum, etc., unde necesse est animo, velit nolit, multum doli et cap-

(1) *De Tradendis disciplinis*, 269.

(2) Cf. *les Eçoles épiscopales et monastiques*, auctore Léon Maître, Lutetiae, 1866, ubi videbis Alcuinum poenituisse quod nimis Virgilio indulsisset. — Cf. innumeros libros recenter editos dum agebatur illa controversia vulgo dicta : *Du Ver rongeur*.

(3) *De Tradendis*, 270.

tionum adhaerere quas in occasione exerceat. »

Erit forte qui existimet Vivem plus nimio concedere obtrectatoribus Ciceronis, Quintiliani, Senecae, Taciti, in quorum scriptis talium vitiorum nulla mentio aut descriptio occurrit, rarae aut potius nullae laudes, nulla admiratio, nulla adoratio. Utrum vero hic Vives quid revera sentiret significaverit an de industria rem auxerit, nihil refert. Continuoquae utilitas, qui fructus percipi possint ex eorumdem libris : « Habent enim, inquit, acutas et magni momenti insectationes vitiorum, virtutum laudes; ... habent praeterea dogmata et sententias majore quadam incitatione boni naturalis excusas, quae, in usum nostrum traducta, ingentia praebent nobis ad res multas adjumenta; habent postremo ornatum omnem cultum, elegantiam sermonis (1). » Licet nobis, addit, eorum scripta proponere velut latum quemdam agrum in quo herbae proveniant partim utiles, partim noxiae, partim ad delicias et ornamenta paratae, partim ad sordes et morbum inficiendos; non ergo prohibendi sunt pueri quominus hunc agrum ingrediantur, sed tantum impediendi ne potius noxias quam utiles herbas decerpant. Itaque nihil aliud necesse est quam istius modi pestes prius evellere, ita ut nulli periculosum sit « iis versari campis ubi vel solae crescant » vel solae remaneant « herbae utilitatis cujusdam aut honestae voluptatis. »

(1) *De Trad.*, 269.

Exinde, omni sermonis remota figura, quid agendum infert Vives, scilicet profanorum libros « non tolli oportere, sed repurgari. » Per hanc purgationem (a nemine nondum tentatam, sive inutilis visa fuit, sive nimis difficilis), et litteras colere et mores servare licebit. — « Praeeat ergo viam, inquit noster, vir aliquis eruditione ac probitate peritus, » qui hoc opus sibi assumat, et « cui nos credamus ac nostros filios (1). » Confectis enim exemplaribus ad usum puerorum in quibus « obscena in totum rescissa » fuerint (2) nemini bono viro in dubium veniet « quin praestet vel a christianis accipi doctrinam christianam vel ex monimentis impiorum (3). »

Quid necesse est dicere Vivem, dum libros profanorum expurgatos in scholis vult esse retinendos, minime libros christianorum prohibere scriptorum? eosque in primis commendare Patres, qui ex diuturna cum profanis consuetudine plurimum fructus percepere et exemplo sunt quomodo « ab Aegyptianis thesauris templum Dei ornandum sit »? et demum sacras litteras velle assidue lectitari, ut et pietate pueriles animi imbuantur et « nonnulla tanquam ad morbos remedia » ex iis delibent?

Nihil prudentius aut relligiosius hac Vivica sententia de tanta quaestione excogitari potest; hanc omnes tenuere magistri quibus cordi fuit et morum

(1) *De Tradendis*, 269.
(2) Ibid., 323.
(3) Ibid., 271.

sanctitatem tueri et mentem optimis excolere disciplinis. Hanc nostra aetate satis fuisset obtrectatoribus profanorum scriptorum commemorare ut omnis controversia componeretur.

Totam Vivis de fine educationis doctrinam, hoc complectitur verbum : « Doctrina cui non respondet vita, res est perniciosa ac turpis (1). » Mox Rabelasius noster dicet fere iisdem verbis : « Science sans conscience n'est que ruine de l'âme. » Sed Vivis sententia nullo modo videri potest fugax scintilla ingenii, rerum circum praecordia ludentis ; optime enim cohaeret cum tota serie rationum ac praeceptorum recto ordine dispositorum et nunquam inter se pugnantium; quod ex sequentibus capitibus clarius ac manifestius apparebit.

(1) Ibid., 276.

CAPUT SECUNDUM.

DE PARENTIBUS, PRIMIS PUERI MAGISTRIS. — EXPEDIATNE PUELLAS ARTIBUS ERUDIRE ET QUIBUSNAM ARTIBUS.

Primos et praecipuos pueri magistros parentes esse, saepe in scholis non posse corrigi animum domi depravatum, scholarum disciplinam vel optimam nihil aliud efficere nisi quod alit semina teneriori-bus annis in puerili animo deposita : has et alias hu-jusce modi sententias, venerandam antiquitatem et cunctorum moralium praeceptorum doctrinam redo-lentes, retractat Vives, sed quadam florenti novitatis specie induit ob fervidam et quasi piam alacritatem parentibus illas persuadendi.

Sunt officia communia patris et matris, sunt etiam propria uniuscujusque, ut liberi optime educentur ac instituantur.

Prima omnium ante ipsum incipiunt matrimo-nium. Solent enim qui matrimonio se obstringere parant nihil aliud nisi utilitatem suam aut voluptatem spectare; sibi tantum consulunt, sibi provident, cum praecipue proli suscipiendae consulere deberent et omnia providere ut pueri fortes animo et corpore crearentur, ut proinde amoverentur vitia omnia quae mores animo pravos, quae infirmam corpori valetu-dinem ingenerare possint. Puerum e vitiosis aut infirmis parentibus natum instituere et emendare, quam difficile opus et quam raro perfectum! Et quid ipsis parentibus luctuosius quam ad vitam evocasse filium qui vitae nec gaudia percipere nec munia adimplere possit! Ad tantam calamitatem praeca-vendam nunquam matrimonio jungatur cui non est mens sana in corpore sano, quantaecumque sunt ille-cebrae amoris aut copia divitiarum (1). Juvenes vero futuram prolem cogitent antequam ea admittant pec-cata quibus vires tum animi tum corporis franguntur, et hunc de se intelligant poetae versum :

Peccaturo obsistat tibi filius infans.

Nam futurus infans, certius quam infans jam suscep-tus, paternarum libidinum poenas dabit. Funesta contagione infectus, luet imbecillitate et infelicitate totius vitae corrupti parentis brevissimas ac turpis-simas voluptates. Haec proponere animis juvenum non dubitat Vives, existimans, merito quidem, ea monita voci naturae et praeceptis relligionis vim

(1) Vives, *De Institutione mulieris christianae ; De Officio mariti*, passim.

quamdam persuadendi addere ut vitia effugiant et salubrem continentiam amplectantur.

Sed jam initum est matrimonium, jam natus est filius; quid prius in animum sibi inducent parentes nisi adeo difficillimam rem esse educationem liberorum ut requirat « multam curam... sollicitudines... anxietatem (1)? » Vivi enim verba non suppetere putes ut quae de ea re sentiat satis vehementer exprimat. Uxoribus quae sterilitate laborant dicit hoc saltem illis solatio esse quod tanto onere leventur : « Quae liberorum, miserae, tam dira libido? » ait, « quantum periculum eos nutriendi et educandi, quam aeternus metus?... Si sollicitudines et aerumnae quae matribus filii pariunt in tabella vobis depingerentur, nulla esset filiorum avida mulier. Et dixi tantum de maribus filiis; in foeminis custodiendis quae carnificina anxietatis! » Fateor, rem minime dubiam immodico orationis apparatu amplificat Vives; declamitat, et cum onus pueros educandi « mortis instar » metuendum declarat, veritatem excedit. Si forte filios habuisset (2), experiendo di-

(1) *De Institutione mulieris christianae*, p. 253.

(2) Ni fallor, hac de causa laborem liberos educandi dictis auget quia carens ipse liberis sibi et uxori saepe tentaverat persuadere se potius supplicio et carnificina quam gaudio carere. Sic mariti moerorem rhetoris amplificatio solabatur. Vivem habuisse liberos affirmat auctor quidam (*Biographie universelle*, tom. XLVII), sed nullo testimonio probat. — Cf. Namèche, p. 29. — Hic notandus error alius auctoris (Paul Souquet, *Les écrivains pédagogues du seizième siècle, Extraits des œuvres*, etc., 1886, p. 98) qui Vivem « Valentiae episcopum » fuisse dicit.

dicisset hoc tam grande onus tanta suavitate temperari, ut... *surgat amoeni nescio quid* ex hoc fonte « sollicitudinum, aerumnarum et anxietatum. »

Sed haec hactenus. Ut pueros recte instituant, quaerant primum parentes nonne ipsi quadam institutione indigeant. Multi enim ex his satis esse existimant si optima moneant, optima praecipiant et jubeant; scire tamen debent non vocibus, « sed factis et exemplis » mores puerorum rectius informari : « nam aetas illa plane simia est. » Hic Vives ornate et copiose eximios poetae versus commentatur :

> Nil dictu foedum visuque haec limina tangat
> Intra quae puer est. . . . . .
> Maxima debetur puero reverentia. . . . . (1).

Quae sint vero propria patris officia non fuse explicat. Breviter dicit hunc posse educandi onus matri credere prioribus annis, posterioribus vero praeceptoribus et magistris quos ipse elegerit; sed cum addit in his eligendis multam patri diligentiam esse adhibendam, et uxorem marito erudiendam esse « quae sit cura, ratio, modus educandi atque instituendi liberos (2), » non facile videtur quidnam officium non sit proprium patris, quippe qui omnia cognita habere et de omnibus sollicitus esse debeat.

Copiosior est Vives de proprio matris munere. — Prius « nutriet si poterit suo lacte, et parebit voci

(1) *De Institutione feminae*, p. 266.
(2) *De Officio mariti*, 368.

naturae quae tributis mammis clamare videtur : Nutriat quae peperit (1). » Deinde, cum grandiusculi erunt pueri, « ipsa mater litteras illos doceat ut eadem utantur matre, genitrice et magistra. » Haec materna institutio progredi potest ultra prima litterarum elementa : « non erit piae matri molestum » vel lectioni sapientum et sanctorum librorum ope» ram dare, si non sua, certe liberorum gratia, ut » erudiat et meliores reddat. » Tunc multis cum laudibus memorat exemplum matris cujusdam quae « natu jam grandior litteris se et praeceptis morum tradidit, tantum ut haec in filios transfunderet. » Quid si vidisset has nostrae aetatis matres aliquid temporis somno aut quieti debiti subripientes ut discant quae graeca lingua scripta sunt legere, quae lingua latina nonnihil intelligere, atque multo mane surgentes et puero adhuc in lectulo quiescenti assidentes ut ediscenda quaeque et memoriter in scholis pronuntianda cum ipsis revolvat! O felices matres!

(1) *De Instit.*, 257 : « Haud parva sane mercede, addit, a natura ipsa nutrienti pro opera tributa, et tanquam relata gratia quod foetum ipsius nutriat, ut saniora sint corpora illarum quae hoc faciunt, cum eae, quae nutriendi laborem recusant, inter lacteum humorem exsiccandum, multum adeant periculi. Accedit his quod utilius est foetui maternum lac quam nutricis : tum quia ex quibus constamus ex iisdem congruentissime alimur, nihilque est convenientius infanti quam ea ipsa substantia ex qua est fictus ; tum quia nutrix non raro alumnum suum admovet pectori invita et subirata, mater contra alacris semper ac laeta, vel ipso pueri sui conspectu, si quid erat in animo nubili, exhilarata, gaudens, ridensque eo magis quo avidius illum haurire contemplatur. Quod si coepit jam ridere, aut balbutire, incredibili alacritate ac laetitia perfunditur, unde quantum salubritatis lac trahat, credi non posset. »

felicioresque filios a talibus matribus institutos! Certe puerorum animis tanto amore, tanta cura, tanta sollicitudine excultis nescio quid singulare et eximium inesse debet; amabiliores indole, teneriores affectu, emendatiores moribus sese exhibeant oportet. « Plus enim est in matre ad effingendos puerorum mores quam quis putet. Illa filium vel optimum facere potest vel pessimum (1). »

Sed non praeterit Vivem matribus facilius esse labores multos pati quam vitia filii corrigere. Itaque prolixe et vehementer funestam illam mollitiem insectatur, quae in vitia filiorum ne saeviant impedit; verba Sapientis proponit et explicat : *Qui parcit virgae odit filium suum.* « Matres, exclamat, hoc velim ne ignoretis, maximam partem malorum hominum vobis esse referendam. » Et protinus multa narrat exempla atrocia ex historia sacra vel profana ducta in quibus filios videre est crudeli indulgentia matrum profligatos evasisse ac perditos (2). Omnes quidem matres tam terribiles suae indulgentiae poenas non pendunt; nulla tamen impunita fuit. Caveant ergo diligenter, ne patri illud molestum relinquant officium filios castigandi severitatem que in eos adhibendi ut sibi solas partes vindi-

(1) *De Institutione feminae*, 258.

(2) Addit illud propria experientia compertum : « Fuit Brugis cum haec ederem mulier quae duos filios indulgentissime ac proinde corruptissime, adversa patris voluntate, educarat; illa clanculum suppeditare pecuniam unde luderent, potarent, scortarentur; alterum vidit suspensum, alterum capite truncatum. » (Ibid.,263.)

cent faciliores, blandas scilicet voces, blandos risus, blanda oscula profundendi, culpis puerorum ignoscendi immo et caeca excusatione eas defendendi. Ipsae quoque virga utantur. Haec enim mater quae et persuasum habebit, et vocibus necnon factis nonnunquam, hanc persuasionem veram esse ostendet, praestare scilicet filium *potius mori quam foedari*, ut olim sentiebat et dicebat sancti filii sancta mater, optima et saepius felicissima matrum existet.

Cum puer, illa vigilantis patris custodia usus et firma sollicitudine matris informatus, septimum annum attigerit, jam tradetur magistris qui illum sive domi sive in scholis publicis artes liberaliores docebunt.

Sec quid de feminis? Illasne quoque decet easdem artes doceri? Oportetne puellae eruditae ac doctae efficiantur? Magna res et ardua quaestio, quae omnium temporum scriptores de educatione disserentes tentavit, quam Vives pro sua solita prudentia explanat ac solvit.

« Sunt multis suspectae doctae feminae, » ait, quasi jam ab aequalibus audisset fere eadem dici quae ab illo apud nostrum Comicum :

Il n'est pas bien honnête, et pour beaucoup de causes,
Qu'une femme étudie et sache tant de choses.

Et revera hanc tenuerant opinionem aevo medio scriptores quidam, inter quos memorandi sunt.

Philippus Navarrensis (1) et Franciscus Barberino (2), qui omne prorsus doctrinae genus feminis denegaverant, etiam prima litterarum elementa. « A fame ne doit-on apprendre lettres ne écrire, » dixerat prior; posterior vero postquam contrariam sententiam exploravit, quid sentiat ita explicat : « Optimum existimo quidvis aliud feminas edoceri quam legere aut scribere. » Quo ergo fine uterque feminam perpetuae et necessariae ignorantiae addicere vult? Ut ejus pudicitia, remotis omnibus peccandi occasionibus, quas scientia suppeditat, minora patiatur detrimenta : nam si litteras noverit, epistolas amatorias leget et scribet : « Li deables tost la metroit en corage que ele lise les lettres (epistolas scilicet amatorias) et li face response (3). »

Optimus sane finis, sed pessima via ; ignorantia enim non tutius itur ad Deum quam ad diabolum. Philippi Navarrensis ergo opinionem non omnes probavere temporibus medii aevi, immo impugnavere Vincentius Bellovacensis, ordinis Praedicatorum, qui praecipiebat ut puellae nobili genere natae artes et litteras edocerentur, et praesertim Christina a Pisanis quae, scientia simul et virtute praestantissima,

(1) Les *Quatre temps de l'homme.*

(2) *Del reggimento et de' costumi delle donne.* Hanc opinionem tenuerant apud veteres quidam, cum eam impugnet Plutarchus in opusculo, quod injuria temporis periit, sed cui, juxta Stobeum, haec erat inscriptio : « Ὅτι καὶ γυναῖκα παιδευτέον. » — Cf. Jourdain, *De l'éducation des femmes au moyen âge. Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, tom. XXVIII, p. 122.

(3) Philippus Navarrensis. Ibid.

indignabatur quod viri sibi solis scientiam utilem sed feminis noxiam haberent, et multis ex historia desumptis testimoniis ostendebat apud feminas doctrinam cum integerrima castitate conjungi (1); et quod adhuc melius est, hanc usus et mores rejiciebant. Scholae, ubi puellae edocebantur, vel potius ubi edoceri poterant, non deerant nec in urbe, nec ruri, et si has scholas numerare hodie non praesto esse videtur, deficientibus quae ad mores rusticorum et ad feminarum abbatias pertinent documentis, nemini tamen erudito viro dubium est eas ita multas fuisse ut ipsae plebeiae puellae in his ad lectionem, ad scripturam, ad computationem, ad pietatem denique et bonos mores informarentur (2). Cujus rei hoc duplex testimonium afferri potest : Anno 1380 Lutetiae Parisiorum, una et viginti magistrae erant quae ab ecclesiastica potestate acceperant « licentiam docendi et instruendi puellas in bonis moribus, litteris grammaticalibus, ac aliis licitis et honestis (3). » Anno 1492, in viculo Normannico cujus incolae non quadringenti erant, puella nomine Maria Boucher,

(1) *Le Trésor de la Cité des Dames.*

(2) Cf. Jourdain, op. citato, 127, necnon Lèon Maitre : *Les Ecoles épiscopales et monastiques*, in qua deplorat auctor abbatias sanctimonialium non tam diligentes historicos habuisse quam virorum monasteria ; Ch. de Beaurepaire, *Recherches sur l'instruction publique dans le diocèse de Rouen* ; Siméon Luce, *Histoire de Bertrand Du Guesclin*, qui multis innixus testimoniis, affirmare non dubitat nullum viculum schola sua caruisse decimo tertio saeculo.

(3) Cf. Licentiam datam « à dame Perrette La Couppenoire, » ab Arturo de Vendetar, cantore et canonico Ecclesiae Parisiensis anno M°CCCC° octogesimo quarto. — Cf. Jourdain, op. cit.

genitore orba, genitrici a paternis parentibus committitur ea conditione ut in schola assidua esse jubeatur, et libris scholaribus instruatur (1).

Haec pro plebeiis puellis. Nobiles vero domi multa docebantur, scilicet elementa linguae latinae, gallica poemata, aliquam historiae, musicae et astrologiae notitiam, paucula etiam medicinae ut possent vulneribus equitum nobilium e venatione aut praelio redeuntium mederi (2).

Fatendum est quidem iis temporibus quinti decimi saeculi, cum totam Galliae faciem vastaverat illud centum annorum bellum, puellas scholasticas paucio-res fuisse, et oblata scholarum copia non usos fuisse parentes. Christina enim queritur mulierem doctam raro inveniri, nisi in regiis aut in nobilissimis domibus. Forsan quoque tunc opinio invaluerat doctrinam nil prodesse puellis aut etiam plurimum nocere.

Itaque Vives, Christinae argumenta repetens et alia afferens, ostendere contendit feminas doctas immerito suspectas haberi, atque eas e scientia nullum detrimentum, sed potius magnas utilitates accipere. Debile sane est et ad vitia proclive ingenium muliebre ; ergo « sapientiae monitis fulcitum sit » oportet ; inconstans, leve, mobile est : scientia, sicut

(1) De Beaurepaire, *Recherches, etc.* : « Les parents et amis de Marion Boucher, qui vient de perdre son père, la baillent à sa mère et à son tuteur, à garder, nourrir et gouverner pendant trois ans, pendant lequel temps ils seront obligés la tenir à l'école et lui trouver livres à ce nécessaires. » Cit. apud Brunetière, *L'Enseignement primaire avant 1789.*

(2) Jourdain, op. cit.

aliquo pondere et vinculo in recta via detineatur necesse est; in nugis versari solet : ad intelligendas et amandas res graves ac serias instituatur et erigatur.

Nil certe mulieri pudicitia excellentius, nil optabilius; omnis cura eo tendere debet ut integra servetur. Si ergo ignorantia pudicitiam revera tueretur, doctas mulieres fieri nequaquam pati deberemus. Sed ignorantia doctrinae non est ignorantia malitiae : « Indoctissimis etiam mulieribus notum est malum, nam etiamsi occultes non potest celari, undique existit et se profert... Bonum vero, si non tradas, nesciri potest (1). » Ideo tam multa in eis desiderantur

(1) *De Institutione feminae*, 78, et passim. Placebit forsan nostro lectori haec Vivis legere verba in quibus suam eloquenter explicat sententiam, adversam vero irridet : « In puella instituenda longe plus video adhibendum operae quam vulgus hominum credat... Stulte dixi facere illos patres qui liberos suos bonum et malum scire volunt ; non minus et illi peccant, qui eos nec bonum scire patiuntur, nec malum. Utinam inter tot malos transigere vitam possemus malitiae ignari ! Sed bonum si non tradas nesciri potest, malum etiamsi occultes, non potest celari, undique existit et se profert, nec se in obscuro contineri patitur. Sunt multis suspectae doctae feminae, ceu malitiae naturale accedat adjumentum astutae eruditionis, quasi vero non et viri eadem conditione suspecti esse debeant, si astuta eruditio pravo ingenio addatur. Sed doctrina quam ego toti humano generi velim proponi sobria est et casta, quae instituat et meliores reddat, non quae ad pravas animi libidines vel armet vel instiget, cujusmodi sunt, ut loquar de femina, praecepta vitae et exempla probitatis, quorum si peritia damnosa est, non video quomodo futura sit ignorantia utilis.

» Quid ergo ? Vis tu filiam tuam malum callere et bonum ignorare ? Quae igitur ad scelus adducent tenebit, quae a scelere abducent ignorabit ? Tam inique de scientia bonorum statuis, ut nocituram eam arbitrere, cum non noceat scientia pessimorum ? Cum ergo a vitio invadetur cui assuevit, quod erit praesidium ab honestate quam

quod quid sit bonum, quid verum, quid pulchrum nesciunt : « Immo vero haec est sola causa cur pleraeque omnes feminae sint difficiles, morosae, cultus studiosae, admiratrices nugarum, in prosperis insolentes, in adversis abjectae ad moerorem, denique intolerabiles, quod nulla meliorum rerum cognitione imbutae aliud nec amare possunt nec odisse (1). »

Si quis dixerit quasdam fuisse et doctas et impudicas feminas, Vives « doctas acies » explicabit feminarum quae eximiam doctrinam cum singulari castitate conjunxerunt, ab illa Cornelia, matre Gracchorum, usque ad tres Thomae Mori filias, omnibus a patre artibus excultas omnibusque virtutibus exornatas. Sese demum proferet testem : « Nec ullam memini vidisse me impudicam doctam, » immo « comperi, ait, malas omnes feminas rudes ac ignaras prorsus esse litterarum (2). »

Postquam demonstravit Vives aequitatem simul et utilitatem postulare ut femina erudiatur, quaerit quibus doctrinis sit erudienda, et non statim nec facile invenit : « Naturae cognitionem, ait, grammaticae, historiae, et rerum gestarum, reipublicae adminis-

nullo modo novit ? Quod si ista placet sententia, cur ad sacras conciones adducimus ? Cur docemus ipsi, castigamus, admonemus meliorum ? Praestabit, credo, rus seponere, et ingenium si quod habent debilitare ac opprimere, denique belluas efficere ex hominibus : ita enim longius aberunt a doctrina » (*De Institutione, etc.*, lib. I, c. IV).

(1) *De officio mariti*, 365, 366.

(2) Ibid., 365.

trandae et mathematicarum artium viris relinquat (1).» Sed alibi quasdam ex his artibus, quas primum prohibuit, leviter degustandas puellae concedit, ut videbimus.

Et primum Grammaticam latinam concedit, cum ea opus sit ut intelligantur philosophorum et poetarum libri quorum usum et lectionem aut permittit aut suadet; immo ipse ad usum puellae, Mariae scilicet regis Anglorum filiae, libellum de Grammatica scripsit.

Rhetoricam deinde discat femina. — Quamvis non indigeat eloquentia, sive natura satis eloquens est, sive eam multo saepius decet tacere quam loqui, tamen « in hoc sexu » hanc artem « non *reprobat* » Vives, ea tamen conditione ut edoceatur a magistro diligentissime delecto, potius a femina, si satis docta inveniatur; sin minus a *grandaevo viro, et probatissimo, neque coelibe*, sed « cui sit uxor et quidem nec deformis et cara (2). »

Poesim et poeticos scriptores permittit, sed exclusis omnibus « amatoriis, » id est fere omnibus poetis antiquis et non paucis e recentibus, quorum cantilenae et fabulosae narrationes nil nisi amorem aut amatores perpetuo decantant. Hos recentes scriptores « pestiferos » vocat Vives, et indignatur eos laudatissimos esse et in omnium manibus versari : « Miror, inquit, cordatos patres suis filiabus permittere et maritos uxoribus » Amadisum, Lancilotum a Lacu,

(1) Ibid., 369.
(2) *De Institut. fem.*, p. 84.

Poggium et Boccacium, etc., etc., qui feminae non minus *aversandi sunt quam vipera et scorpio* (1). Non alios ergo quam christianos poetas legant puellae jubet, ut Prudentium, Aratorem, Paulinum, etc.

In his vero auctoribus qui soluta oratione scripserunt, faciliorem se praebet. Praeter sacros Veteris et Novi Testamenti scriptores, necnon Sanctos Ecclesiae Patres, legendos concedit Platonem, Tullium, Senecam, Plutarchum (2), denique omnes qui « de componendis affectibus scripserunt : vehementer enim hac parte philosophiae indiget femina (3). »

Libros quoque de educandis pueris mater legat, et omnia Aristotelis Xenophontisque de re familiari praecepta : « Addentur his paucula de simplici ac facili medicina qua est opus in leviculis puerorum aut familiae morbis qui tanti non sunt ut opera medici sit imploranda (4). » Eam demum naturae attingere potest femina cognitionem per quam et matris et uxoris officia faciliora sint : « Exigua quaedam naturae cognitio quantum opus est communi huic vitae rationi tuendae utilis est feminae (3). »

Hae sunt artes quas Vives feminis simul ac maribus permittit communes esse. Sed aliae sunt mulierum propriae, quaecumque nempe ad officium matris familias attinent, quas didicisse et quarum usum

(1) Ibid., 87 et 90.
(2) Ibid., 89.
(3) *De officio mariti*, p. 369.
(4) Ibid., 369.
(5) Ibid., 363.

semper retinere et servare debet femina : « Discet ergo simul litteras, simul lanam et linum tractare... et quaecumque ad tuendam et regendam domum spectant (1). » Rei domesticae praeest; hujus officii onera leviter sustineat, nec aliis molesta esse ferat. Hoc efficiet si operi manum admovere illam non pigebit, quoties expedierit ; sin aliter, frustra altiorum disciplinarum perita erit, nullo modo grata homini cordato erit : « Femina displicet mihi artium quae manibus tractantur imperita... ac ne princeps quidem, nec regina (2). » Ipsam ergo artem coquinariam callere debet : « nemini culinae nomen sordeat. » Sciant enim quae culinam fastidiunt, « foedari magis manum si porrigatur alieno viro quam si intingatur fuligine, et turpius esse conspici in choreo quam in culina. » Sciant insuper illam artem non parvum beatioris vitae esse instrumentum, cum domi maritos retineat : « qua de causa viri in hac Belgica cauponantur saepe ac multum ? Praecipuam esse causam autumo negligentiam et ignaviam feminarum in coquendis cibis quae cogit viros a domo abhorrere et alibi querere quod domi non inveniunt (3). »

Haec est feminae educandae ratio quae Vivi tenenda esse videtur, et quae omnibus, ut credo, laudanda videbitur. Non enim ingrata erit pinguibus illis ingeniis quae, artium lepores parum curantia, libenter

(1) *De Instit.*, 73, 74.
(2) Ibid., 74.
(3) *De Institut. fem.*, 79.

hoc Chrysali, apud nostrum comicum, sibi assumerent :

Je vis de bonne soupe et non de beau langage,

cum velit Vives et recte intritam coquere et pulchre loqui discant feminae ; non invisa erit illis pusillis animis qui timent ne quid virtuti filiarum doctrina demat, cum omnem doctrinam ad augendam earum virtutem et pudicitiam intendat Vives, et ideo omnes vanas et curiosas artes prohibeat ; non improbanda tandem erit iis qui maxime feminis erudiendis favent, cum Vives illis Grammaticam, Rhetoricam, poesim, philosophiam moralem, naturae cognitionem, Aristotelis, Platonis, Ciceronis et Senecae scripta adire permittat aut etiam jubeat. Illis *reipublicae administrandae* scientia interdixisse, nemini improbe factum videbitur. Eas vero ab historia et mathematicis artibus prohibuisse non ita probandum esset, si ea esset prohibitio quae omnem praeteritorum temporum aut computationis notitiam excluderet. Sed quemadmodum ex naturae studio ea decerpi sinit quae ad utilitatem aut jucunditatem vitae pertinent, ita ex historia colligi exempla quae liberorum animos oblectare et mores informare possunt, e mathematicis quidquid proderit rationibus familiae sumptuariis recte subducendis probat Vives. Quod si non sumere licet ex tribus capitulis (1) in quibus artes feminis

(1) Cap. IV et V libri primi *De Institut. fem. christianae* ; cap. III *De Officio mariti.*

convenientes enumerat, evidenter tamen ex cunctorum ejus scriptorum mente et doctrina inferre possumus. Idcirco fas erit cum eo omnia, quae de feminis erudiendis dixerit, ita concludere : « Puto his omnibus abunde excultum fore muliebre ingenium et ipsam instructam ad vitam commode et religiose transigendam (1). »

(1) *De Officio mariti*, 369. Forsan haec Viviana de puellis instituendis doctrina non satis fuse explicata videbitur; sed mihi haec scribenti compertum est opus quoddam de illa speciatim doctrina jam paratum fuisse, immo in eo esse ut mox typis mandaretur; quod in causa fuit cur rem breviter contraherem, vel jam contractam non amplificarem.

CAPUT TERTIUM.

DE SCHOLA ET MAGISTRIS.

Quae vitia in regimine scholarum censoria nota designet Vives ? — Nonne jam scholarum restitutores exstiterint ? — Quae praecipiat Vives ad scholas recte constituendas et regendas ?

« Quaesitum est, inquit Vives, ubi melius doceantur pueri, domine an foris (1) ? » Respondet ipse utilissimum videri eos institui *in vera et perfecta Academia*, id est in « conventu hominum doctorum pariter et bonorum congregatorum ad tales reddendos eos qui illuc disciplinae gratia venerint (2). » Sed cum hujusmodi Academia nulla (3) nunc sit aut saltem rara, « major est deliberatio. » Multis enim vitiis Academiae « ut nunc sunt » laborant, non tantum in tradendis artibus — de quibus infra copiosius agetur — sed in omnibus rebus aliis quae ad scholae regimen pertinent.

(1) *De Tradendis discipl.*, p. 279.
(2) Ibid., p. 279.
(3) Ibid.

« Praedam suam spectant paedagogi non institutionem pueri (1), » inquit Vives ; « quaestuosa res, addit, coepit esse scholarum regimen, et emptum est non secus ac mercimonium promercale ut revenderet qui erat promercatus. » Quaestum paedagogus comparabat ex paucis ac mediocribus alimentis quae ipse alumnis quotidie vendebat, quaestum ex immunditie ludorum, quorum nonnullis « vix erat, teste Erasmo, hara porcorum sordidior (2), » et in quibus purgandis operae et impensae parcebat, quaestum ex ipsâ indignitate magistrorum quibus committebat pueros artibus imbuendos.

Illorum enim magistrorum plerique circa vigesimum annum docendi licentiam obtinebant et circa trigesimum deserebant, ea per hoc tempus tantum usi ut lucrifacerent unde ipsi viverent dum theologiae vel juri studerent. Solum victum accipiebant a paedagogo (3), qui pro tam minimo salario maximam scientiam aut eminentem probitatem exigere nequibat. Gradus nimirum Academicos quibus conferebatur docendi licentia magistros obtinuisse necesse erat ; sed ad illos obtinendos plus dolus, ambitus, pretium, vis et arma ipsa valebant quam scientia. His gradibus ornati erant virorum vel indoctissimi vel pessimi, « cerdones, scilicet, coqui,

(1) Ibid., p. 282.

(2) Erasm., cit. apud Benoist : *Quid senserit Erasmus*, etc.

(3) A discipulis pecuniam quamdam insuper exigebant et ipsi de manu ad manum accipiebant. — Cf. Quicherat, *Histoire du collège de Sainte-Barbe.*

rhedarii, nautae, fabri et pejores iis grassatores, latronesque ; » hujusmodi « artium vel magistri vel batalarii non desunt nec in Gallia, nec in Germania, nec in Italia ; si quis alibi non invenit Romae quaerat (1). » Neu dicas in his Vivem solita uti amplificatione ; audias enim Parisiensis Academiae Rectorem anno 1503 querentem accedere « ad hanc magisterii dignitatem agasones et bubulcos qui non solum non Aristotelem, sed ne Catonem quidem primaque rudimenta didicerint (2). »

At saltem morum sanctitas hoc turpis ignorantia dedecus supplebat ! Minime ; saepius enim *spurcos*, *sordidos*, *sensu perversissimo* (3), se praebebant magistri ; lectiones non paucas omittebant (4), pessimis discipulis in omni genere libidinum aut flagitiorum socii et adjutores erant, una cum eis in maximum dedecus incurrebant, necnon turpissimas dabant poenas. Videre est enim in constitutione quadam, ab Universitate anno 1335 promulgata, magistrum ab officio docendi juste excusatum iri

(1) *De Causis corruptarum art.*, p. 73.

(2) Cf. Thurot, *De l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris*, p. 58 : Anno jam 1180 Joannes Hautivillensis hoc, teste Bulaeo, scribebat :

Hic vulgus cathedras rapta deitate Magistri
Insilit et vacua de majestate tumorem
Concipit, impubis et *mento* et *mente*...
(Bul. II, 669.)

(3) *De tradendis*, 281.

(4) Gaulieur, *Histoire du collège de Guyenne*, memorat, p. 19, scholasticos hujus collegii, anno 1525, nomina trium magistrorum *legere* negligentium ad civitatis tribunal detulisse.

« si fuerit carcere detentus (1). » Quibus omnibus de causis, professorium munus ad id dedecoris pervenerat, ut, quemadmodum his temporibus cum magister inter servos dēligeretur, « vulgus existimaret discipulum magistro potiorem esse (2). »

Quomodo puerum istiusmodi paedagogi et regentes bonis moribus imbuere possint? Si ei vitia non intulerint pravis exemplis, saltem opportuna correctione recidere non valebunt. Huic enim corrigendi muneri liberale ingenium et studium continuum requirenti, impares sunt; vel nulla, vel nimia utuntur castigatione, — interdum scilicet nulla, quod timent « ne mutent gymnasium alumni, et alio transferant vilem quaestum, » interdum vero nimia, quod illiberales animi illiberaliter se gerant necesse est.

In hunc atrocem puerorum correctorem qui

Ferulae subdebat discipulorum
Dextras et flagro dorsa ferit rubeo (3)

et a quo « fortasse abest voluntas occidendi, non homicidium (4), » invehitur noster Vives. Etsi uti virgis, a quibus omnino abhorret Erasmus, utile censet, ut mox videbimus, *Orbilianos* tamen *mores*, ex quibus tum magistri tum scholae odium nascitur, et qui discipulorum animos servili humilitate deprimunt, nullo modo probat.

(1) Thurot, op. cit., 91.
(2) *De Causis*, 76.
(3) *Histoire littéraire*, tom. XXIV.
(4) Erasmus.

Cum ita paedagogia regantur, in eis pueri nunquam habitent; nam aut praeceptores nullo modo sedulos ac vigilantes habebunt, et tunc « alii aliis exemplo erunt ad obscoenitates, » aut « acres » et plagosos, et « tunc e scholis tanquam e carceribus evolare cupient. » Hic paterno quodam dolore motus Vives depingit puerum ab istius modi schola reducem, olim tenerum et ad omnem liberalem cultum flexibilem; nunc vero adeo inurbanum, ingenio hebetem, moribus rudem, ut « agrestis fera atque incondita videatur » et magno horrore animos parentum afficiat. Haeccine erat miseris pro tanta cura ac sollicitudine merces, hoccine pretium pro tantis impensis, filium recuperare sordidum ac stultum, qualem « nec intueri quisquam in convictu possit absque nausea nec perferre sine odio (1)! »

Tutius ergo puer domi instituetur a privato praeceptore, modo ne solus. Quod si a docto et incorrupto viro doctrinam accipere, aut si condiscipulos habere nequit, uti fas erit lectionibus in Academia publica habitis, usquedum haec erigatur Academia, cui liberos suos committere nemo dubitet.

Ex his omnibus quae tam vehementer de scholarum regimine declamat Vives, non inferre licet ne-

(1) Omnibus his Vivis increpationibus respondent hi nostri Maroti versus, apud Rebitté citati, p. 75 :

En effect, c'estoient de grans bestes
Que les regents du temps jadis ;
Jamais je n'entre en Paradis
S'ils ne m'ont perdu ma jeunesse.
(*Epitres*, I, II).

mini ante ipsum curae fuisse institutionis puerilis reformationem. Ipsa enim Parisiensis Universitas, quae prae ceteris Vivica censura petita est, ante quinti decimi saeculi finem « reformatorem » eligi decreverat, qui paedagogia inspiceret, statuta servanda curaret, et morum sanctitatem tueretur. Optimum sane propositum, si reipsa ad effectum adduci potuisset! Sed cum censor ille ex Facultate artium electus esset, quae ex ipsis paedagogis et magistris inspiciendis et emendandis constabat, emendationi impar fuerat. Hoc enim fuit commune aevo medio, optima consilia et optimas voluntates irrita evadere, praesertim in his omnimodis collegiis in quibus omnium suffragiis potestas creabatur, a pluribus conjunctim exercebatur, et ubi saepius nullus nisi volens parebat (1).

Qua vero ratione scholasticorum mores servandi essent et quae corpori cura tribuenda, hae scholae olim monstraverant episcopales aut abbatiales, quae Vivem latuisse videntur, et in quibus alumni vix e lecto surgentes manus et ora limpida lavare aqua et omni die sese puros ac nitidos praebere cogebantur, in quibus praesertim ab omni mala vitiorum sorde et contagione quam providissima arcebantur vigilantia. In subselliis nempe continuis non collocabantur, sed in sedibus separatis, ne aliis propiores accederent; nocte, custodiae committebantur viri inter provectissimos aetate et spectatissimos virtute electi; ita ut,

(1) Cf. Thurot, *De l'organisat., etc.*

nec die nec nocte, « eorum lasciva aetas ad peccandum proclivis nullum posset reperire locum quo in facinus prorueret (1). »

Tempore vero recentiore, anno scilicet 1370, hujusmodi scholas in urbe Daventria instituerat Gerardus Grootus, ordinis « Fratrum vitae communis » conditor. Fratres illi in describendis codicibus vel sacrorum vel profanorum auctorum vitam degebant, et in regendis scholis in quibus pueros non tantum doctos sed etiam bene moratos reddere intendebant, ipsique eis pietatis et virtutis exemplo erant (2). Nova usi ratione tum in tractandis puerorum animis tum in tradendis artibus, omnium gratiam adepti sunt, multosque habuere discipulos, ex quibus fuere Thomas a Kempis, Rodolphus Agricola, in Germania circa annum 1481 « litterarum restitutor, » Dringerbergius qui Agricolae consilio scholam Selestadii, Alsatiae in urbe, instituit, Wimphelingius qui magna cum laude in illa schola legit et de pueris recte docendis scripsit (3), et demum omnium illustrissimus Erasmus

(1) Cf. Lèon Maitre, *Les Ecoles épiscopales.*

(2) Cf. Bossert, *De Rodolpho Agricola*, etc.

(3) Inter Wimphelingii libros, hi notandi sunt : 1° *Elegantiarum medulla* (1493), in qua traduntur linguae latinae et Rhetoricae praecepta, e veteribus auctoribus et Laurentio Valla excerpta; 2° *Isidoneus Grammaticus*, seu Grammatica (1497) in qua reprehendit grammaticorum libros in scholis usurpatos : « Vos qui publicis ludis praefecti estis... quo brevius potestis vestros alumnos erudite, omissis commentariis antiquis qui pleni sunt ineptiarum, et ad dediscendum magis quam addiscendum accommodati » (Ibid., XXVII). 3° *Adolescentia* (1500), seu regulae ad bene regendos pueros, ubi ait : « Christiani sumus et esse et videri volumus, » et idem ac Vives

ille qui vitia veterum scholarum increpavit et pervulgata fecit, virtutes vero novarum vel negavit vel tacuit (1).

Minime ergo mirandum est si de illis scholis Vives quoque tacuit quum ipse de constituenda schola praecepit. Vide vero quanta sapientia et quanto judicio singula vel minutissima quae ad eam rem spectant provideat.

« De loco primum dicendum est, » ait, nam locus in constituenda schola maximum habet momentum. Itaque oportet : 1° caelum sit salubre ; 2° suppetat alimentorum copia ; 3° sit locus separatus vel a frequentia opificum, « qui strepitum et magnos edunt sonos, » vel a comitatu regio « qui otio ac malis artibus invitat rudes animos, » vel a puellarum vicinia quae alliciunt aetatem blando malo obnoxiam, vel a publico itinere ne commeantium novitate avocentur ab opere animi scholasticorum ; 4° non tamen sit omnino infrequens ille locus, ne magistri careant testibus qui eos inspiciant et in officio retineant. Nil autem de ipsa domo et de diversis ejus partibus certo ordine disponendis Vives dicit.

Si non distincte definit quae sint quotidiana cum magistrorum tum discipulorum officia, attamen in suis dialogis (2) satis aperte innuit quae regula in

praecipit de profanorum librorum lectione. — Cf. abbé Dacheux, *Etude sur Geiler*.

(1) Cf. Gaston Feugère, *Erasme*, p. 397 : « Il semble n'avoir vu partout que barbarie et ignorance. »

(2) *Linguae latinae exercitatio*. — Cf. infra, c. IV, art. II.

his tenenda sit. E lecto surgat puer « fere cum sole, qui est dux Musarum, » et statim lectionem audiat. Deinde aliquid sumat cibi. Quaternam in die refectionem concedit Vives, scilicet silatum, prandium, merendam vel antecoenium, et coenam. Sed valde praecipit ne plus edatur quam « quantum est satis non ad explendum sed ad alendum. » Cibus sit « parabilis, purus, concoctu facilis. » Potus vero sit aliis « frigida et liquida aqua, aliis cervisia tenuis, paucis et raro vinum et bene dilutum. » Haec vero alimenta non amplius discipuli a paedagogo emant, sed « hebdomatim eligatur unus ex sodalibus qui sit velut architriclinus ; is curet singulis diebus emendas epulas ut omnis quaestus occasio revellatur a scholis. » Illum vero architriclinum, quem reperias in quibusdam hujus aetatis collegiis, praesertim in « Fuxensi collegio, » Tolosae instituto, paedagogi integritatem servasse credo, sed ipsum rursus tam multorum incommodorum aut vitiorum occasionem fuisse ut non mirer si usque ad nostram aetatem non pervenerit.

Quae vero Vives de recreationibus deque corporis exercitatione scripsit, diuturnus usus comprobavit, detur in medii aevi scholis non multum temporis quotidianae recreationi tributum fuisse ; totus fere dies a discipulis absumebatur vel magistrum audiendo, vel audita revolvendo, vel piis exercitationibus vacando ; aliquid jocis aut ambulationibus tantum concedabatur diebus Martis et Jovis (1). Quod

(1) Cf. Quicherat, op. cit.

Vives haud satis esse censet. « Exercitamenta corporum crebra sint in pueris, » ait ; compertum enim habet recreando corpus et augendo ejus vires « ea praesertim aetate quae incrementis indiget ac confirmatione corporis, » simul augeri animi vires et alacritatem ad laborem comparari. Etenim de pueris verius quam de viris dici potest « corpus aggravare animam, » et difficile esse mentem sanam in corpore non sano versari. Ergo quotidie vult Vives corpora eorum oblectari et exerceri ludis « qui honestatem habeant cum jucunditate conjunctam, » « quales sunt pila, globus, cursus, etc..., » deambulationes longiores extra urbem et per agros. Tanta sollicitudine afficitur comparandi alumnis salubres oblectationes, ut provideat ubi et quomodo, cum pluerit, ludere et recreari possint. « Sint porticus, ait, vel laxa atria quibus se reficiant pluvio tempore... Tunc magno oblectamento erunt sermocinationes festivae ac suaves, narrationes jucundae, argutae, etc... »

Nec tamen paterna haec de bona valetudine corporis cura in mollitiem desinit. Vult quidem corpus et sumere vires et quieti interdum indulgere, non vero dolore omnino eximi : immo dolorem ut poenam irrogare non reformidat, si utilitas animi postulat, nempe ut culpae quaedam puniantur. Modice tamen, ut jam diximus, hoc emendandi modo utitur ; primo adhibeantur jubet « reprehensio, laudum et praemiorum privatio » et quaevis alia correctio liberali ingenio digna. Ad extremum tamen, si omni modo ceterae castigationes irritae ac inutiles evaserint, et

si puer non fuerit tenerrimus adhuc, virgas adhiberi fas et necessarium erit « ut eum revocet dolor cui ratio non est satis ; » sed sic illis uti oportebit « ut tenerum adhuc corpusculum acriter in praesens doleat, nihil deinceps sentiat incommodi. » — Quod si quis modicum hunc et temperatum verberandi morem contulerit cum illa immani consuetudine, in scholis usurpata, in pueros sine mora, sine modo, sine aetatis discrimine saeviendi, judicabit certe Vivem non nihil fecisse ut scholaris correctio humanior fieret. Quod si insuper noveris quibus viris hunc virgarum usum permittat, jam non sollicitus eris.

Nam in magistris consensum omnium virtutum requirit. Et cum de hac re crebra et fusa sit illius amplificatio, ad quatuor has quaestiones contrahatur necesse est : 1° quomodo sint eligendi magistri ; 2° qua scientia et virtute ornati esse debeant ; 3° quodnam et a quo salarium accipiant ; 4° quo modo se habeant cum discipulis ?

Infirma et inanis, ut vidimus, evaserat auctoritas graduum quibus conferebatur jus et licentia docendi. Itaque quaerit Vives an satius foret « nullos esse in Academia gradus? » Quid respondeat, ex ejus moderato ac temperato ingenio conjicere licet : « Quod in abusus abiit non videtur prorsus esse tollendum, » tantummodo est emendandum. Non tollatur ergo haec magistrorum eligendorum ratio ; sed in ea stricte vetera universitatis statuta serventur et nova addantur. Primum nulli scholastico gradus conferantur nisi diligentius explorata ac severius recognita sit ejus scien-

tia; sic forsan numero pauciores erunt magistri, sed arte praestantiores. Praeterea qui gradus adepti fuerint non idcirco magistri munus obire possint; eos quidem scientia praeditos esse gradus testatur, non facultate scientiam aliis tradendi. Ideo aliquandiu in tirocinio quodam exerceantur, in quo experimentum sui dent atque usu artem docendi doceantur : « Profitebuntur aliquandiu apud auditorium frequens, cui et illi nonnunquam intererunt qui de eis judicium ferre possint quod dicatur. Quod si approbentur, desinent professores esse, fient doctores vel magistri,... quos appellabimus *magistros professores* (1). »

Ceterum de scientia magistri idem libenter sentiret Vives ac Cicero et Quintilianus, nempe in magistro esse debere « omnium doctrinarum concentum et consensum,... disciplinarum orbem, » ea praesertim causa quod « disciplinae omnes, ut virtutes, inter se quamdam connexionem habent. » Sed cum hunc concentum raro inveniri non ignoret, satis idoneus illi magister videtur qui optime didicit, perfecte tenet et non raptim et in diem collegit quae quotidie tradere debet, qui denique non « tanquam peregrinus » sed tanquam civis hanc litterarum provinciam sibi creditam incolit, ejus singulas partes cognitas plane habet et in ea ut in propria sede versatur (2).

Sed, addit, « magistri censeantur non ex doctrina modo, sed etiam moribus. » Omnia ergo effugiant

(1) *De Tradendis*, lib. II, c. I; *De Causis*, lib. I, c. X.
(2) *De Tradenda*, l. II.

vitia apud magistros medii aevi solita, et eas induant virtutes quibus discipulis exemplo sint. Quam maxima enim morum integritas illos decet quicumque pueriles animos tractant et eos quotidiana consuetudine, vel factis, vel verbis, vel ipso oris et corporis habitu ad bonum aut ad malum inflectere possunt. Quaestus minime sint cupidi. Ut vero omnis avaritiae amoveatur occasio, postulat Vives ut nihil pecuniae de manu discipulorum, sed « salarium de publico » accipiant. Praeterea sit illud salarium non nimis amplum, ne spe lucri venales alliciat animos, sed tale « quale cupiat vir bonus, fastidiat malus. »

Caveant maxime magistri ne cum discipulis familiarius agant quam decet et par est. Hoc erat, ut jam vidimus, hujus temporis commune vitium quod magistri discipulis aetate pares, pares etiam erant moribus; hanc tenebit viam prudens praeceptor ab extrema severitate et ab extrema licentia remotam : « erit gravis sed sine acerbitate. » Amore paterno discipulos complectetur : « illius affectus erit patris (1). » Discipuli vero affectus sit filii : « magistrum ut patrem diligite, » inquit Vives pueris, et ut in eorum animis infixum maneat illud praeceptum multis argumentis tum a philosophia tum ab historia petitis confirmat. Non tamen hominem tam prudentem fugit amorem argumentorum vi nemini injici, et multo minus pueris qui magistrum nisi amantem et

(1) Cf. Quintilianum : « Sumat parentis animum... non auctoritas tristis, non dissoluta comitas. » Lib. II, c. II.

amabilem non diligunt. Jure ergo in memoriam magistrorum revocat, nullo pacto pueros adduci posse ad officia piorum filiorum erga ipsos exsequenda, nisi ipsi parentis animum sumant amantissimi.

Dent imprimis operam ut indolem uniuscujusque inspiciant et penitus cognoscant, atque ad varietatem ingeniorum (1) rigorem scholaris regiminis deflectere conentur. Suam enim indolem a natura unusquisque accepit puer, ita ut nullus sui similem habeat. Immo nullus diu sibi constat, sed saepe secum dissidet « ex cibo et potione, ex habitu coeli et loci, ex affectionibus corporum (2). » Qui enim puer prae se malae indolis speciem ferebat, annis crescentibus, bene moratum se praebuit; qui vero optimam naturam sortitus videbatur, jam adolescens pravos mores ostendit. Nihil ergo utilius, sed nihil difficilius quam animum cujusque penetrare, de eo judicium ferre; ad id facilius obtinendum, utile erit ea quae singuli magistri in suis discipulis observaverint in commune conferri et cunctorum prudentia pensitari : « Quater per annos singulos in locum secretum aliquem conveniant magistri, uti inter se de ingeniis discipulorum suorum sermocinentur et consultent (3). »

Hae sunt scholae in quibus discipulos recipi, hi sunt magistri quos his scholis praeesse vult noster Vives. Nonne de tali Academia dici possunt quae

(1) Cf. Quint., lib. I, c. 3; II, 8.
(2) *De Trad.*, 288.
(3) Ibid., 278.

ipse de vera et perfecta diceret, scilicet illam esse conventum doctorum pariter et bonorum in quo docti et boni discipuli crescant?

CAPUT QUARTUM.

DE ARTIBUS QUAS PUERI EDOCENDI SUNT.

Articulus Primus.

Index illarum artium, et summa eas tradendi ratio.

Si quis scire cupiat quaenam artes in *Facultatibus artium* pueris traderentur, obliviscatur necesse est hanc veterem artium partitionem in *Trivium* ac *Quadrivium*. Magistri enim vel extra illos limites discurrebant, cum non tantum de septem artibus, sed etiam de Ethica, de Physica et de Metaphysica agerent, vel citra se tenebant, cum has et illas artes omnes in unam logicam forma et modo docendi converterent.

Quae vero tradendae sint et quo ordine ita statuit Vives : 1° Linguae, 2° Dialectica critica, 3° Physica, 4° Prima philosophia seu Metaphysica generalis, 5° Dialectica inventrix seu Instrumentum probabilitatis, 6° Rhetorica, 7° Mathematicae artes, Arithmetica scilicet, Geometria, Astronomia, Musica. « Hoc

est, ait, adolescentiae curriculum ad quintum et vicesimum annum aut eo circiter (1). »

Tria in hoc artium indice notanda sunt : 1° Physicam sequitur Rhetorica, non antecedit, ut in *Trivio* et *Quadrivio*. — 2° Grammaticae in locum, Linguae designantur, quae vocis mutatio haud parvam significat rerum mutationem : majorem enim esse declarat quam antea de lingua Graeca et Hebraïca curam, et ipsam latinam nova doceri ratione, majore ad verborum delectum et ad usum adhibito studio quam ad grammaticas sermonis leges. — 3° Omittuntur Ethica et Historia, quae, « ab adolescentiae curriculo » remotae, ad juvenile et virile transferuntur simul ac Metaphysica specialis, Oeconomia, Politica, Jus et Medicina. De illa vero duplici omissione hoc animadvertendum est. Ethica ad alterum curriculum reservatur quatenus est mera scientia ; sed in quantum ad usum spectat et vitam regit et gubernat, una cum religione doceatur vult Vives, qui, ut jam vidimus, religionem habet ut caput et fundamentum totius puerilis disciplinae. Nullo enim in loco librorum suorum videtur aliquid discriminis fecisse naturalem inter et divinam morum regulam, nec a Theologia Moralem disjungi voluisse, saltem in pueris instituendis.

De Historia vero alibi dixit Vives : « Cognitioni grammatices adjuncta est historicorum enarratio atque interpretatio (2), » nec hunc vituperat usum, immo,

(1) *De Tradendis*, 373.
(2) *De Causis*, lib. II.

in secunda sua de *Ratione studii puerilis* epistola illum commendat. Insuper historiam oratori legendam esse docet (1) ; et illius demum declarat « incredibilem esse ad artes omnes utilitatem (2). » Ex quo inferre licet Vivi historiam ceterarum omnium disciplinarum provinciam videri, quibus praebet, ut ita dicam, agrum feracem ex quo Grammaticus exemplorum, Orator argumentorum et ornamentorum amplam segetem colligere possint, et unde puero jucundum otium, honesta voluptas, recta morum institutio enascantur. Si ergo historia, quae « ad omnia utilis est, » juvenibus investiganda reservatur, pueris tamen legenda permittitur.

Sed non tantum in rerum discendarum indice notando, quantum in ratione eas omnes tradendi describenda, eminet Vives. Et primum vitia reprehendens quae illam rationem corruperant, magistros hujus aetatis insectatur quod ex veterum auctoritate doctrinam, ex Dialectica formam docendi sumerent.

Tanta auctoritate apud philosophos Aristoteles pollebat, tanta gratia apud litteratos homines florebat Cicero, ut illi pro certissimo haberent quaecumque Aristoteles effatus esset, et isti nulla verba nullamque verborum complexionem sibi permitterent, nisi a Cicerone sumpta. Non deerant etiam qui veteres ut homines superioris naturae colerent nec illorum sublimitatem ulli posterorum assequi fas esse

(1) *De Ratione dicendi.*
(2) *De Tradendis*, p. 388.

concederent. Superstitiosum hunc cultum ac stultam religionem impugnat Vives, modo stomachans, modo irridens, et eo libentius quo ipse accuratius noverat Graecos Latinosque auctores et sagaciore admiratione prosequebatur. Nullus enim inter aequales tantis Aristotelem evexit laudibus, nullus tantum hac Tulliani sermonis profluente suavitate atque canora ubertate delectatus est. Itaque a nemine rejici poterat tanquam antiquitatis ignarus contemptor, cum se magis *veritatis amicum quam Platonis* praeberet, et pari ratione et paribus facetiis Aristotelis et Ciceronis « servum pecus » irrideret et urgeret. Ea praecipue causa scholastici corruperunt philosophiam, ait, quod potius *in verbum jurare Magistri* quam ad rationem attendere addicti essent, et ea litterae modo renatae torpescunt quod non alios habeant fautores quam homines caeca antiquitatis veneratione amentes. Tales autem se vidisse testatur : « Vidi, inquit, qui versiculos hominis viventis, quod in pervetere Bibliotheca reperti essent pulvere obsiti ac jam fere exesi tineis, aperto capite veneratus sit tanquam Vergilianos ; et alius Ciceronis epistolam, cui consult onomen erat praepositum gallicum, magno fastidio aspernatus est, addito etiam convicio barbariae transalpinae (1). »

His lepide dictis, magna cum gravitate addit : « Falsa est atque inepta illa similitudo quam multi tanquam acutissimam excipiunt nos *ad priores collatos esse ut nanos in humeris gigantum*. Non est

(1) *De Causis*, p. 42.

ita; neque nos sumus nani, neque illi homines gigantes, sed omnes ejusdem naturae, et quidem nos altius evecti illorum beneficio, maneat modo in nobis quod in illis studium et amor veri. » Sic pro solito suo judicio, hanc percelebrem solvit controversiam de veterum recentiumve praestantia; sic ab antiquis doctrinae amorem potius quam doctrinam ipsam accipere recentes jubet.

Sed acrius quam antiquitatis superstitionem, dialecticae immodicum ac depravatum usum insectatur. Non negat certe dialectica plurimam utilitatem praestari, nec in illa tanquam in palaestra quadam animi augeri vires, nervos intendi et mentis alacritatem exerceri; tantum enim operis, ut mox videbimus, consumit in recto dialecticae usu docendo quantum in ejus abusu exprobrando. Illud vero intolerandum ac maxime funestu mei videtur dialecticam totius disciplinae curriculo praeesse, omnes artes sua induere forma, omnia et ipsa linguarum elementa per quaestiunculas ac disputationes tradi, et puerulos, adhuc loquendi inscios, disputare juberi. « Altercandi initium statim natis, finis nullus nisi cum morte. » Nota est haec Vivica assiduarum disputationum in quibus alumni solidos dies consumebant descriptio; sed hoc loco sub oculos reponatur necesse est : « Puer ad scholam deductus (1) primo confestim die jubetur disputare, et docetur jam rixari qui fari nondum potest; idem in grammatica, in poetis, in historicis, in

(1) *De Causis*, p. 50, 51.

dialectica, in rhetorica, in omni prorsus disciplina. Miretur aliquis qui possint in rebus apertissimis, simplicissimis, primis? Nihil est tam liquidum, tam clarum, quod quaestiuncula aliqua, velut vento excitato, non perturbent. Inertissimae datur torpedini nihil invenire etiam in solis fulgore quod obscures, in rebus explicatissimis quod involvas... Sic sunt tirones isti assuefaciendi nunquam tacere, fortiter asseverare quidquid in buccam venerit... Nec una disputatio uno sufficit die... : sub prandium altercantur, pransi altercantur, sub coenam altercantur, coenati altercantur..., domi altercantur, foris altercantur, in convivio, in balneo, in vaporario, templo, urbe, agro, in publico, in privatò, omni loco, omni tempore altercantur. »

Sit in ista, volo, declamatione aliquid elatius inflatiusque prolatum; nil tamen nisi verum affirmat cum alibi ostendit Vives ex hoc inepto educandi genere pueri mentem evadere magis victoriae cupidam quam veritatis, ideoque minus rectam ac sinceram, et mores ipsos superbos fieri, et arrogantes (1). Thomas Morus noverat pueros « in Parvis suis Logicalibus tam substantialiter fundatos, » ut semper ad digladiandum cum omnibus essent parati et nemini

(1) In Oratione habita Romae 1567, Muretus sese depingit ex illis scholis egressum « confidentem, acrem, contentiosum, praesertim cum et natura *esset* firmis lateribus et voce magna, et quod caput est, cum magistri si non multum sapere, at certe, quod apud eos pro eodem erat, multum audere multumque clamare docuissent. » — Cf. Rebitté, op. cit., p. 83.

cederent, nec ipsi Magistro Aristoteli (1), nam se « Aristotelem disputando victuros (2) » credebant.

Ab hac ergo via a plerisque usurpata longe suum discipulum avertit Vives, nec illum veterum auctoritati mancipari, nec dialectica alligari, permittit. Haec enim est Vivicae « Methodi » nota praecipua quod a solitis aevi medii magistrorum vitiis purgatur. Quae autem sint illius propriae leges nusquam seorsum ac certa definitione monet Vives, nec forsan monere potest : id enim solum sibi proponit potius inveterata tollere vitia quam novas afferre leges, et insuper suo ingenio indulget quum res singulas evolvit, non autem omnes in unum contrahit.

Hoc vero uno praecepto omnia ejus praecepta complecti possumus : artes omnes quam simplicissima forma tradantur et ad puerorum utilitatem semper dirigantur. Ea autem forma simplex est quae ex usu ad principia procedit, quae in difficilibus eruditionis nugis nunquam versatur ; ea sic tradita doctrina pueris affert utilitatem, proprias vires addit, et in eis tum virtutum indolem tum rectum judicium auget. Judicium enim, ait ille Vives, quem ob judicii praestantiam laudabant aequales, « praecipuum est non solum in scientiis ediscendis, sed etiam in vita bene beateque peragenda instrumentum (3). »

(1) *Epistol. Thom. Mori Martino Dorpio*, cit. apud Benoist, p. 22.
(2) *De Causis*, p. 55.
(3) *De Causis*, p. 40.

Articulus Secundus.

De Linguis.

De vernacula lingua. quae cura illi adhibenda sit. — *De Latina :* quanti momenti sit ad omnes disciplinas tradendas et accipiendas; quantum illius tum vocabula tum Grammaticam corrupissent pseudo dialectici ; quinam fuerint illius primi instauratores ; qua ratione tradenda sit. — *De Colloquiis* seu de *Exercitatione linguae latinae.* — *De Graeca et Hebraica lingua* paucula adduntur.

I

Ex omnibus artibus quas discere debet puer, nullam, ne lectionem quidem aut scriptionem, neglexit Noster. Nulli vero libentius et diutius indulsit praecipiendae quam Grammaticae, seu potius arti Linguarum. Quod ipse confitetur, quasi precans veniam : « Sentio me diu esse in hac de Linguarum praeceptione immoratum (1). » Ea vero causa id fecit quod ratio linguas docendi plus caeteris laborabat, et quod linguae aliis artibus maxime utiles sunt, « inde enim reliquae artes omnes ac disciplinae dimanant. »

Inter omnes linguas latina Vivi maximae curae fuit; hanc quasi maternam colit : « Nos Latini » aliquando exclamat. Sed Latinus ille multum dissidet a nonnullis ejusdem temporis Latinis qui patrii sermonis contemptum ostentabant. Dum Erasmus omnium populorum in quibus versatur linguas ignorat, et suae

(1) *De Tradendis*, 338.

patriae sermonem adeo aspernatur ut dicat : « Absum ab Hollandis linguis quae plurimum nocere norunt, nulli autem prodesse didicerunt (1), » Vives Hispanice et Gallice loquitur et linguam Batavorum intelligit (2). Immo praecipit ut « et domi a parentibus et in schola a praeceptore detur opera ut patriam linguam pueri bene sonent (3). » Magister ipse vernaculam puerorum linguam cognoscat, qua possit, si res postulat, clarius et facilius eruditas linguas docere (4); nec vere eruditus ille homo appellandus est, qui non « vetustatis linguae patriae memoriam tenet et cognitionem non modo verborum recentium sed priscorum quoque, » nec qui, ut « praefectus quidam aerarii (5) » ne aliquid de ea depereat valde sollicitus est.

Haec praecepta, tam insolita apud ejusdem aetatis eruditos, statuit Vives, quia Hispanus est, ea scilicet gente quae suam linguam armis ut solum ipsum ex Arabum dominatu vindicaverat, et quae eodem amore terram patriam patriumque sermonem complectebatur (6). Non existimat tamen vernaculas linguas adhibendas esse ad scribendum de rebus altioribus :

(1) Epist. ad Nicolaum Weiner, cit. apud Massebieau : *Les Colloques scolaires*, p. 36. Joannes Sturmius quoque, qui paulo post scriptorum Vivicorum editionem, collegium celebre instituit (1538) in quo multa a Vive praescripta in usu habita fuere, vernaculas linguas contemnebat neque eas doceri volebat... — Cf. Schmidt, *Etude sur Sturm.*

(2) Id testatur Erasmus, epist. 385. — Cf. Massebieau, op. cit.

(3) *De Tradendis*, 298.

(4) Ibid., 306.

(5) Ibid., 307.

(6) Cf. Massebieau, op. cit., p. 162.

« Expedit praeterea, ait, linguam esse aliquam doctorum (1), » qua omnes singularum artium eruditi viri inter se conversari et in unum congregari possint.

Certum est enim, linguae latinae singulari beneficio, doctos homines hujus temporis minus alios ab aliis semotos fuisse quam nunc sumus nos, quamquam novis « societatis instrumentis » utimur. Audiatur noster Vives hanc linguam extollens communem hominum interpretem, cujus ope fines nationum tollantur, et cesset poena peccati originalis, scilicet diversitas idiomatum : « Peccati enim poena est tot esse linguas ; eam vero ipsam linguam oporteret esse cum suavem tum etiam doctam et facundam... ut libenter ea loquerentur homines et aptissime possent explicare quae sentirent... multumque per eam accresceret judicii. Talis mihi videtur lingua latina... nefas esset non coli eam et conservari quae si amitteretur, et magna confusio sequeretur disciplinarum omnium et magnum inter homines dissidium (2). » Multorum ergo hominum et omnium artium interest hanc linguam recte doceri.

Sed hoc opus, hic labor magistri. Lingua illa barbarie scholastica corrupta erat et in tot fracta dialectos quot erant *barbarissantes :* « Horrenda barbaries orationem conspurcabat, unusquisque... verbum de

(1) *De Tradendis*, p. 300. Hac aetate Hispanus Mendoza, qui nec eruditione nec studio linguae graecae ulli cedebat, libros suos Hispanica lingua scribebat, sed ea praesertim causa, quod ad Hispaniam magis quam ad Europam ipsius libri spectabant,

(2) *De Tradendis*, lib. III.

sermone vernaculo mutuabatur,... inde nata est barbaries non una, sicut una erat latina lingua, verum sua cuique nationi ; aliam invexit Hispanus, aliam Gallus, aliam Germanus, aliam Britannus, nec hi mutuo se intelligebant (1). »

Haec sermonis barbaries tum ex latine loquentium ignorantia ac socordia nata erat, tum proesertim ex prave disputantium putida arrogantia. Inepto enim illi pseudo-dialectici utebantur sermone qui ab omni consuetudine abhorrebat et a nemine, docto vel indocto, neque vel ab ipsis eo utentibus intelligebatur (2). Qui se Aristotelis discipulos jactabant, pure ac dilucide loqui fastidiebant, quasi Magister ipse non accommodavisset « suam dialecticam ad illum vulgarem sermonem quem totus populus loquebatur (3). »

Sed gravius quam vocabula, Grammaticam corruperant « homines istius farinae. » De quo vehementer illos increpat Vives, nec, quanquam solito acrior, et ira magis elatior, amplificationi oratoriae indulget. Supersunt enim e codicibus suis renati (4), Grammatici illi contra quos stomachatur, et ipsos suae stultitiae, quae fere incredibilis videretur si eam solus Vives testaretur, testes habemus. Compertum nunc omnibus est Grammaticam hac aetate quotidie in pe-

(1) *De Causis corruptarum, etc.*, p. 93.
(2) In *Pseudo Dialecticos*, 49.
(3) Ibid., 41.
(4) Cf. Thurot, *Notices et Extraits des manuscrits*, in quibus nescio utra sit mirabilior patientiane auctoris an scientia.

jus abiisse. Veteres Donati ac Prisciani libri semoti fuerant ut simpliciores ac nullum apparatum philosophicum prae se ferentes : Priscianus non docet grammaticam, aiebat unus ex istius aetatis grammaticis, « per omnem modum sciendi possibilem : » Usum exprimit, sed « causas non assignat... propter quod non docet, quia illi tantum docent qui causas assignant (1). » Itaque ad causas assignandas se totos dederunt grammatici, easque in forma, ex dialectica sumpta, exposuerunt. Per « definitionum et divisionum rationes, argumentationes, majorem, minorem, consequentias (2), » causas quaesiverunt, et, quod mirabilius est, se invenisse crediderunt cur hoc nomen masculinum esset, illud neutrum, hoc verbum deponens, illud activum. Cujus doctrinae haec duo afferre exempla liceat : 1° Quaeritur quare nullum nomen quintae declinationis masculini sit generis : « Ad hoc dico, respondit Joannes de Janua, quod ideo nomina quintae declinationis sunt magis feminini generis quam masculini, quia qualitas vocis illius declinationis quamdam naturam feminini sexus importat propter divisionem quam facit in genitivo et dativo, quia genitivus et dativus illius declinationis desinit in *e-i* divisas syllabas. Ac divisio feminino sexu convenit propter fecunditatem (3). » — 2° « Omne participium praeteriti temporis *i*, vel *x*,

(1) *Notices et Extraits*, p. 102.
(2) Vives, *De Causis, etc.*
(3) *Catholicon*, pars tertia. Cit., apud Benoist, *Quid senserit Erasmus*, etc.

vel *s* habet ante *u ;* excipitur *mortuus*. Quare excipitur et non dicitur *mortus?* Quidam dicunt quod sicut homo qui moritur desinit esse ab hac vita, ita et hoc participium... mortem significans fuit extra regulam caeterorum participiorum (1) ! » — Nil mirum si Vives hoc potissimum optat omnes Grammaticos hujus furfuris « Catholicon, Alexandrum, Hugutionem, Papiam, » depelli a scholis, libris eorum « asportatis asinorum copia (2). »

(1) *Notices et Extraits*, p. 71. — Cf. ibidem : « Genera a generando dicuntur. *Quaerendum cur* nomina dicuntur generare, cum incorporalia sint ? Ideo quia adhaerent corporalibus quae generant et generantur. »

(2) *Exercitationes linguae latinae.* — Papias *Rudimentum Elementarium* ediderat circa annum 1063 « cum definitionibus, notationibus, secundum regulas, » et Hugutio *Vocabularium* circa 1192. Ex illis duobus libris, Joannes de Janua, circa 1286, famosum illud composuerat opus quod inscribebatur : *Summa*, seu *Catholicon* (Cf. Du Cange, Praefatio, XLIII ad LVII). Alexander a Villa Dei *Doctrinale Puerorum* circa annum 1209 scripserat, ut ferunt hi versus :

Doctrinale suum dedit in commune legendum
Anno milleno ducentenoque noveno.

Illa Grammatica, versibus descripta, « brevitate et simplicitate quadam commendabilis est » (Thurot, *De Alex. Doctrinali*, p. 45). Sed inelegantia et obscuritate « et barbarorum temporum rubigine » inficitur. Dicas Alexandrum conscium fuisse se non satis aperte et nitide scripsisse, nam ait :

Si pueri primo nequeant attendere plene,
Hic tamen attendet qui doctoris vice fungens
Atque legens pueris layca lingua reserabit.

Unum superest Doctrinale lingua layca XV^e^ saeculo reseratum a Francisco Nicolao quodam; hoc recenter prodidit F. Morand (*Revue des Sociétés savantes*). Inscribitur *Doctrinale prosaycum*, et auctor asserit se illud composuisse ut praecepto Alexandri ipsius pareret (pueris layca lingua reserabit), linguam « laycam » existimans esse linguam « prosaycam. » Alexandri « de verbo ad verbum textum »

Quid dicam de *Modis significandi* qui « excarnificabant » Erasmum, et in quibus tota furebat Grammaticorum dialectica? Unicuique verbo multiplices erant Modi significandi : essentiales et accidentales, absoluti et relativi, quorum singuli in multas species dividebantur et multiplicabantur; declinabili plures erant quam indeclinabili ; nomini substantivo, verbi gratia, sex accidentales modi numerabantur, omissis essentialibus (1). Horum arcana non penetrat Vives, nec nos in his diutius morabimur.

Tempore vero quo Grammaticos istos insectabatur, jam in scholis aliquot rectius Grammatica institui coeperat. Laurentius Valla (1406-1457) (2), primus a medii aevi magistris discedens, causas usus destitit explicare, ut ipsum usum certo ostenderet, optimorum scriptorum fretus auctoritate. Eum secuti sunt Perot-

secutus est; attamen addit : « Certi sitis quod pueri proficere valentes plus proficient in hoc opere quam in opere metrico... propter obscuritatem, coactionem et brevitatem metrorum. »

Haec obscuritas glossas multas adducebat, quae ipsae « textu » obscuriores saepe erant, aut si quid in Alexandro clarum forte esset, obscurabant. Sic explicatur apud quemdam glossatorem Alexandri primus ille doctrinalis versus :

Scribere clericulis paro Doctrinale novellis.

« *Causa finalis* tangitur cum dicit clericulis, id est ad utilitatem clericorum. » (Cf. Thurot, *Notices et Extraits*). Istis grammaticis annumerandus est Ebrardus Bithuniensis qui circa initium tertii decimi saeculi edidit Latinam Grammaticam, sermone metrico scriptam quam vocavit *Graecismum*, non quod de Graeca simul ac latina lingua tractaret, sed ex eo quod, in decimo capite, multorum verborum graecas etymologias dabat. — Cf. *Histoire littéraire*, tom. XVII.

(1) Cf. *Notices et Extraits des manuscrits*, p. 159, 223.

(2) Cf. *Dictionnaire des sciences philosophiques*.

tus (1473) (1), Antonius Mancinellus (2), et ille Despauterius qui tamdiu Grammaticae scholas recturus erat, et quem tunc indocti homines « vociferabantur, ut ipse aiebat, esse novitatis falsae excogitatorem (3); » Aldus Manutius, Philippus Melanchton (4) et Antonius ille Nebrissensis qui bonas litteras Valentinae Universitati et Hispaniae intulit et qui Vivem, adhuc puerulum et ab inepto praeceptore incitatum, inimicum habuit (5), postea vero discipulum et admiratorem. Quibus omnibus superveniens Vives, non existimat necessarium esse novam confici Grammaticam; « ex his, inquit, sumet quisque quem volet, pares enim in tradendo video (6). » Sed illorum praecepta commemorat, eamque rationem, qua illi usi sunt in tradenda lingua, ipse commendat.

A teneris annis puer huic studio tradatur, in eoque diu perseveret : « a septimo anno usque ad quintum decimum vel etiam ad sextum decimum. » Multum nimiumque foret si puer novem annos detineretur in verbis et vocibus solum; sed verba res secum vehere

(1) Cf. *Encyclopédie* d'Ersch et Gruber.

(2) Cf. Niceron, *Mémoires*, t. XXXVIII.

(3) Cf. Paquot, *Mémoires pour servir à l'histoire littéraire des Pays-Bas.*

(4) Cf. *Alde Manuce, etc.*, auctore A. Firmin Didot. Lutetiae, 1875. — *Encyclopédie des sciences religieuses*, auctore Lichtenberger, art. *Melanchthon.*

(5) Cf. *Vita Ludovici Vivis*, auctore Majansio. *Les Ecoles espagnoles au quinzième siècle*, auctore Eugène Baret, *Revue des Sociétés savantes*, 1862.

(6) *De Tradendis*, 325. Grammaticos tamen sermone metrico usos non tantopere commendat.

vult Vives. Arguit quidem sententiam eorum qui Grammaticae nomine designant quidquid pure dilucideque scriptum est sive de Theologia, sive de Philosophia (1), nec appellationes confundi et misceri sinit; res autem in pueris docendis misceri probat et jubet, sed ita ut inde utilitas pueri nascatur. « Amoena diverticula quaerantur, ut historia vel fabula... de re altioris disciplinae facilia quaedam delibabit magister captui suorum adolescentium consentanea... quam in partem malim Grammaticum peccare quam jejunitate quadam. » Itaque Grammaticae magister « non solum litterarum et vocum peritiam sed... cognitionem antiquitatis, historiarum, fabularum, etc. (2), » habeat necesse est. Eam vero Grammaticam docebit quae non sit « superstitiose anxia (3) » circa regulas.

(1) *De Causis*, p. 64.

(2) *De Causis corruptarum*, lib. II, c. II, p 84. Vidimus supra quas virtutes in magistro requirat; majores adhuc a Grammatico exigit, quia ille magister propter naturam doctrinae tradendae et aetatem discipulorum, in periculo est ne asperior et impatientior fiat. « Ludi litterarii magister ab his vitiis erit alienus quae adferre secum solet artis Grammaticae longum exercitium; nam quod in ludo inter pueros desident, ad ineptias et puerilitates tanquam contagio pertrahuntur, gravitatem ac moderationem omnem amittunt, et dum invitia puerorum coguntur animadvertere, quae sunt innumera et subinde renascentia, nec ea stomachus virilis potest concoquere, coguntur prope saevire atque efferari, et in illud ceu pistrinum detrusi, communi sensu multum minuuntur; unde magna in illorum vita et consuetudine existit difficultas morum atque incommoditas : festive qui dixit mirandum non esse Grammaticos iis esse moribus quos a primo statim Homeri versu trahant :

Μῆνιν ἄειδε Θεά, etc.

(*De Trad.*, lib. III, c. II.)

(3) *De Ratione studii puerilis*, II[a].

Non despiciendae tamen regulae; « sed ut nocet eas negligere, ita illis nimium inhaerere atque affigi (1)... Ergo usus sequendus est potius quam ars (2). » Non jam de *modis significandi* disputetur, sed vocabulorum exacte notetur significatio, nec regularum causae inquirantur. Hoc demum ordine puer ad linguae intelligentiam adducatur : « Prima cura sit circa verborum significatus, proxima circa intelligentiam auctorum, non tam in rebus quam in sententia dicti,... tertia circa sententias sumptas de vita... quarta circa historias, postrema et levissima circa fabulas (3). » Ille est rerum, nunc is est « studii ordo » : Per annum primum, nihil a puero requiratur nisi ut animum docilem et intentum praebeat; sequente vero anno, latine scribere et loqui jubeatur, et mulctetur qui « latine loqui recusabit. » — Non tamen nos fugiat Vivem praecepisse latinam linguam vernacula lingua doceri cum opus fuerit, et alibi addidisse : « Cum iis (condiscipulis) qui imperite loquuntur latine, quorum sermo potest tuum corrumpere, malis Britannice aut alia quavis loqui lingua, in qua non sit idem periculi (4). » — Eodem anno puer quasdam sententias e vulgari lingua in latinam et e latina in vulgarem transferre assuescat (5), sed huic

(1) *De Tradendis*, 303.
(2) *De Ratione puerilis studii*, II[a].
(3) *De Tradendis*, 304.
(4) *De Ratione puerilis studii*, II[a].
(5) Ad hanc exercitationem Vives permittit puerum uti lexico : sed addit inter omnia lexica hoc tempore usurpata nullum esse « satis plenum ac justum. » Vide apud Du Cange (*Praefatio*, § XLIII ad LIII),

operi non prius indulgeat quam amplam verborum copiam teneat.

Quo facilius hanc sibi pararent copiam pueri, mos invaluerat illis tradendi libros quosdam communi sub nomine *Colloquiorum* designatos, in quibus exempla praebebantur puri ac nitidi sermonis. Hujusmodi libros jam ediderant Mosellanus (1517), Hegendorphinus (1521), Schotennius ante annum 1526, etc., etc. (1). Hos tamen omnes antecelluerant *Colloquia* Erasmi (1522), quae mox in manibus discipulorum per omnes scholas versata fuerant. Sed cum illa, utpote magis elegantiae verborum et puritati sermonis quam religioni et pudori faventia, Universitas Parisiensis, anno 1529, censura notavisset, in illorum locum alius liber subjiciendus fuit, elegantia haud impar, doctrinae integritate praestantior. Hunc confecit Vives, quamvis illi cum Erasmo magna esset necessitudo. Sed reverentiam puero debitam majestatemque Religionis summi viri amicitiae praeponebat. Novus hic Colloquiorum liber, *Linguae Latinae Exercitatio* inscriptus, magna cum gratia fuit excep-

lexicorum enumerationem omnium ab undecimo saeculo ad sextum decimum editorum. Omnia quae ante 1470 edita fuerant dicit Du Cange plena esse *ridiculis ac putidis etymologiis*, nec esse « purgata a Latinitatis sordibus. » Sed Laurentii Vallae duos indices, Graecum alterum, alterum Latinum, editos eo anno, et « *Dictionarium Calepianum* » (1500) Ambrosii a Calepino idem laudat, nec Vives reprehendit, ut credo, sed tantum non esse satis *ampla* existimat. Lexicum quod ipse optat debet esse duplex et constare « alterum enumeratione tantum verborum, brevi interpretatione adjecta, alterum copiosius dictis auctorum intermixtis. »
(1) Cf. Massebieau, *Les Colloques scolaires*.

tus. Undique typis mandatus fuit (1), annotationibus explicatus, in vulgarem sermonem translatus. Nec immerito quidem; eminent enim in eo sermonis veritas, confabulationis alacritas et lepidi sales; vividam sub oculos refert imaginem omnium rerum quae ad scholarum regimen et ad scholasticorum vitam pertinent. Hoc singulare habet quod multa Latinis ignota, latino nomine designat, sed a Graeca lingua petito. Illud appellandi genus — quo tam multi nostri temporis eruditi utuntur — tunc insolitum visum fuit neque omnibus probatum. Sed inde crevit fama et gratia libelli, cui, multis explanationibus etymologicis indigenti, multi occurrere explanatores et commentatores (2).

De lingua Graeca, qua ipse tam docte et insolenter

(1) Vide apud Namèche (*Mémoire, etc.*), et *Répertoire des ouvrages pédagogiques du seizième siècle*, longum indicem locorum et annorum quibus editus fuit, et apud Massebiau (*Colloques scolaires*) historiam harum interpretationum, translationum in linguas vulgares, commentariorum, etc., in undecim capita partitam ac paucis verbis contractam.

(2) Ex illius libri XXV colloquiis, haec excerpta afferri liceat :

REFECTIO SCHOLASTICA.

MAGISTER. — Tu habes cultellum, Brugensis ?

PISO (alumnus). — Prodigium, Flander sine cultello, et quidem Brugensis, ubi cuduntur optimi.

NEPOTULUS (Brugensis). — Mihi vero cultello nihil est opus, dentibus frangam mordendo, vel digitis bucellatum comminuam.

MAGISTER. — Ubi fecisti latinae linguae tyrocinium ? nam mihi non videris prave institutus.

NEPOTULUS. — Brugis, sub Joanne Theodoro Nervio.

MAGISTER. — Viro diligente, docto, probo, etc.

(*Colloq.*, VII.)

utebatur, et de hebraica pauca dixit Vives. Vult tamen Latinitas et Graecitas « ambae doceantur pariter (1), » nam graeca lingua latinam « auget et adornat estque perfectioni latinitatis necessaria, non secus quam latina Italicae aut Hispanae; nec ullus fuit Latini sermonis peritus, nisi ex Graeco imbutus (2). » Qua vero ratione docenda est? Ea quam magistri hujus aetatis, Lascaris, Theodorus Gaza, « quem vertit Erasmus, » Reuchlinus et alii secuti sunt (3). In hac parte puerilis institutionis, Vives nec Budaeo nec ipsi Erasmo

ITER ET EQUUS.

PHILIPPUS. — Vultisne proficiscamur animi gratia Boloniam quae est ad Sequanam ?...

MISIPPUS. — ... Aspice ut fluviolus ille leniter labitur, aquae plane cristallinae inter scrupos aureos ? quam jucundum murmur ! Audis lusciniolam et carduelem ? Profecto territorium hoc Parisiense amoenissimum est.

PHILIPPUS. — Quod spectaculum potest esse huic par ? Quam placido agmine fluit Sequana !... Mirifice his omnibus redintegrantur animi !

MISIPPUS. — ... Mallem currere quam sic ab equo concuti !

PHILIPPUS. — Tanto coenabis avidius.

MISIPPUS. — Immo non potero coenare delassatus et confractus toto corpore. Citius quaeram de lecto quam de mensa.

PHILIPPUS. — Sede conjunctis cruribus, non divaricatis; minus senties laborem.

MISIPPUS. — Hoc est feminarum et facerem nisi metuerem derisus et sannas praetereuntium.

(*Colloq.*, IX.)

(1) *De Tradendis*, 333.

(2) Ibid., 302.

(3) Ibid., 333. Attamen Lascarim et Gazam in syntaxi docenda minus appositos censet; alter enim « canones ad imitationem Latinorum est commentus; parum hic vere, » alter vero non satis id notavit, « quod esset potissimum, quibus in rebus Graeca et Latina inter se structura dissiderent. »

conferendus videtur ; horum sese discipulum ipse praebet.

De Hebraica vero lingua tradenda, nil jubet, sed « nil impedit (1). » Illam discat, ait, cui satis est temporis et qui « se incorrupte eam accepturum confidit (2). »

Articulus Tertius.

De Dialectica.

Quid in ea reprehendat Vives et jam reprehenderint aequales et majores ? Quanti hanc artem et ejus magistrum Aristotelem fecerit ? Num ipse novam tradiderit Dialecticam ?

« Studio sermonis finitima est Dialectica, » ait Vives, majoribus assentiens qui hunc probaverant ordinem et cum eis existimans prius esse recte cogitare quam pulchre et ornate dicere, et ideo prius Dialecticam pueris quam Rhetoricam tradendam essse.

Pseudo-dialecticos tanta ira, tam multis et tam saepe iteratis conviciis, insectatus est Vives ut a qualicumque Dialectica abhorruisse nonnullis visus fuerit (3), quorum gravis error est. Quanto enim Vives acrius falsam Dialecticam impugnavit, tanto

(1) Ibid., 301.

(2) Ibid.

(3) « Pour certains humanistes, tels que Louis Vivès, la Dialectique était encore un objet de mépris ; dans l'énergique réaction contre le moyen âge, on rejetait fréquemment la bonne science en même temps que la caricature qu'on en avait faite. » (Schmidt, *Etude sur Sturm*, p. 265, 266).

diligentius veram et probam commendavit ; multum quidem in illam, sed multum quoque de ista scripsit; etiam hac in re ut in ceteris, eo sese praebens ingenio quod « in medio » stare atque in neutram inclinare partem ubi aliquid nimii sit maxime amet.

Dialecticam, quam jam ceteras omnes artes invasisse ac corrupisse arguerat (1), propriis ipsam vitiis corruptam fuisse ostendit. Laborat illa ars in *Materia* et in *Forma* sua, ut his duobus verbis, minime hoc loco incongruis, comprehendamus longam et iratam et saepe iteratam Vivis censuram. Vanis et inanibus quaestionibus tantum indulget, et formam adeo putidam et barbaram adhibet; ut a solis stupidis hominibus colatur et a solis initiatis intelligatur. Felix tamen barbaries et obscuritas quae tam ineptis philosophis solum fuit diu praesidium; nam si a vulgo intelligerentur isti, « tota opificum turba illos e civitate supploderet, sibilis, clamoribus, strepituque suorum instrumentorum, tanquam stupidos quosdam homines et carentes sensu communi. » Cujusmodi fere omnes sunt dialectici qui in Academia Parisiensi aut Lovaniensi aut Coloniensi versantur; quarum prima, unde tam diu « lux totius eruditionis manavit, » et quae ceterarum omnium regina incedebat, nunc nihil aliud est nisi « anus quaedam summe delirans : »

Talia jactantem atque ita stomachantem, et multa exempla duplicis corruptionis dialecticae proferentem,

(1) Vide supra, c. IV, art. 1^mus.

cur diutius audire immoremur? Tantum enim dedecus, tanta probra intulere homines litterati XVI[i] seculi dialecticae vitiis, ut nihil hodie sit magis pervulgatum quam illa vitia potiusque videri possit miseram illam artem excusare quam accusare.

Hoc dicamus saltem renascentium litterarum fautores non primos fuisse qui pravos dialecticae usus impugnaverint. Duodecimo seculo, Joannes Saresberiensis irriserat inanes et putidas Cornificiorum argutias et disputationes, in quibus talia agitabantur : Uter ad nundinas porcum ducat, porcariusne qui funem, an funis qui porcum tenet? Vel ista : Num capucium emerit qui cappam emit (1)? Quarum insuper disputationum formam tam multis negationibus intricatam et impeditam fuisse refert idem Joannes, ut nullus scire posset utrum illae negationes pares an impares essent nisi ope fabarum illas attente numerasset (2). Praeterea, in scholis aevi medii haec fabella vulgabatur cujusdam scholastici in purgatorio detenti atque ipsis sophismatibus quibus nimium delectatus erat combusti : « Apparuit scholaris post mortem cum cappa de purgamento tota de sophismatibus descripta et flamma ignis tota confecta ; qui requisitus a magistro, ait : Haec cappa mihi data est ut eam portem pro gloria quam in sophismatibus ha-

(1) « An porcus qui ad venalitium agitur ab homine an a famulo » teneatur ? Item an capucium emerit qui cappam integram compa- » ravit ? » (Joann. Sar., *Metal.*, l. III. — Cf. *Jean de Salisbury*, par l'abbé Demimuid. Lutetiae, 1873.)

(2) Demimuid, op. cit., p. 133.

bui (1). » Ipsi alumni quasi syllogismi forficulis excruciati, *Barbaram* appellaverant illum Castelleti carcerem in quem identidem conjiciebantur, adeo parvam Dialecticae reverentiam exhibebant! Fuerunt etiam inter acerrimos Dialecticae fautores qui pristinum suum errorem abjicerent, inter quos notandus est ille Dullardus, quem Vives magistrum in Parisiensi Universitate habuerat et a quo solebat audire : « Quanto melior eris Grammaticus, eo pejor dialecticus. » Cujus acerbi dialectici emendationem ita testatur Vives : « Dullardum ego et Gasparem Laxem, praeceptores olim meos, querentes saepe summo cum dolore audivi se tam multos annos rei tam futili atque inani impendisse (2). »

Rara tamen fuerat haec scholasticorum emendatio ante Erasmiana aut Viviana tempora, nec postea protinus universa evasit, quamvis undique occurrissent et ex Italia, et ex Gallia, et ex Germania emendatores. Quorum inter multos, ne dicam omnes, Vivi hoc proprium fuit, nequaquam, propter odium in Pseudo-dialecticam, veram dialecticam odisse aut erga Dialecticorum Magistrum Aristotelem sese irreverentem exhibuisse.

Quinque enim libros de Dialectica, quam vocat *ceterarum artium instrumentum*, edidit, qui inscribuntur : 1° *De Explanatione cujusque Essentiae*, in quo *de definitione* agitur ; 2° *De Censura Veri*, seu *de Logica*

(1) Bulaeus, II, 393. — Cf. V. Leclerc, *Histoire littéraire*, t. XXIV, p. 458.

(2) In *Pseudo-Dialect.*, 63.

critica, quae est ars verum a falso in dictis aut scriptis distinguendi; 3° *De Instrumento probabilitatis* seu de Logica inventrice, in qua de fontibus seu de Locis Communibus argumentorum tractatur (1); 4° *De Disputatione*, seu de modo his argumentis utendi, in qua tironibus dialecticae militiae ars traditur; 5° *De Syllogismo*, quem vocat « vera et germana et perfecta argumentatio. » In hoc libro enumerat, definit, explicat et docet figuras et modos syllogismi : *Barbara*, *Darii*, etc., tanta cum gravitate et diligentia ut dubites uter scribat, Erasmiane « filius » an Dullardi non emendati discipulus.

Aristotelis vero nemo admirationem eloquentius quam Vives profitetur. Saepe dialecticos arguit quod Aristotelem ignorent, quia illum legunt vel pravis translationibus deformatum vel ineptis interpretationibus distortum. Illi enim commentatores stolidi « nasum cereum Magistro imposuerunt quem quisque quo velit ad libitum vertit. » Omnes ergo Dialecticae studiosos hortatur Vives ut Aristotelis ipsius opera, amoto omni interprete, adeant et legant (2). Ipse horum operum indicem descripsit, in quo haec

(1) Hanc divisionem Logicae in criticam et inventricem a Rodolpho Agricola accepisse videtur Vives. — Cf. Bossert, *De R. Agricola in Germania Litterarum instauratore*, necnon Schmidt, *Etude sur Sturm*.

(2) Hic index, primum typis mandatus a Majansio in editione valentiana atque ambitioso illo titulo decoratus : *De Aristotelis operibus censura*, nihil aliud praebet nisi breve *Argumentum* 21 librorum Aristotelicorum, multa de sermonis obscuritate querimonia interposita; sed abest omnis alia censura. *Poëticae* ne nomen quidem profertur.

leguntur : « Mihi rem acrius intuenti atque subtilius examinanti nullum videtur fuisse ingenium Aristotelico praestantius; » et alibi, in hoc ipso opere, in quo inter *Causas Corruptarum artium* enumerat superstitiosam Magistri reverentiam, addit : « Reliquos omnes non secus antecelluit Aristoteles quam sidera universa sol (1). »

Non ergo mirandum est si Aristotelicam dialecticam Vives tradit. Novę quidem, non vero nova docet; sermone jucundiore et perspicuo explicat et servat quidquid ex vetere Dialectica servari potest, etiam *Barbara* et *Celarent;* nihil rejicit nisi quod omnes sanae mentis homines prorsus rejiciendum putent, et si non scholasticus, certe peripateticus est.

Itaque minime Vivem parem faciemus eximiis his viris qui Novum Organum et novas investigandi verum vias invenerunt; non inventor novae sed emendator veteris artis nobis jure appellandus videtur. Qui fit tamen ut homines quidam, et nequaquam ipsi contemnendi, illum Baconi et Cartesio parem fecerint, et eum habuerint ut praenuntium quemdam illius Rami qui hanc thesim propositurus esset : *Omnia apud Aristotelem esse commentitia* (2)? Qui fit ut de eodem Gassendus scripserit : « Haerebat lethalis arundo

(1) *De Causis*, p. 64.

(2) Ramum ipsum fuisse quodam modo peripateticum manifeste ostendit Waddington (*Ramus, sa vie et ses écrits*) et jam dicebant aequales :

Hic in Aristotelis dum famam et dogma vagatur,
O quantum debet Ramus Aristoteli !
(E. Pasquier, *Iconum liber*, n° 146.)

generalis praejudicii quo videbam ordines omnes probare Aristotelem : verum mihi animos adjecit timoremque omnem depulit et Vivis et mei Charronis lectio (1). » His causis, ni fallor : Aristotelem « coluit, sed non adoravit (2) ; » illius ingenium miratus est, sed intolerandum abjecit dominatum quo praesertim laborabant hujus aetatis scholae ; Peripatetica Dialectica usus est, sed Rationis potius quam Magistri auctoritati parens. A Magistro enim in quibusdam dissensit, parvis quidem et paucis (3), ita multis tamen ac gravibus ut exemplo confirmaret, vel saltem non negaret, quod verbis eloquentissime et vehementissime jactaverat, a nullo scilicet vel ab altissimo ingenio doctrinam caeca superstitione accipiendam esse. Et cum eloquentia verba magis quam facta meminisse soleant homines, praesertim iis tempestatibus quibus libertatem verbis vindicare jam libertatem exercendi initium videatur, non immerito Vives inter eos annumeratus fuit qui philosophiam ab Aristotelica servitute liberaverint.

Illius vero enodatius explicare Dialecticam non hic

(1) Praefatio operis cui tit. : *Exercitationum paradoxicarum libri septem.*

(2) Majansius, *Vita.*

(3) Si verba attenderis, haud semel invenies acres ac vehementes objurgationes quae magni dissidii videntur esse indicium; res vero si accuratius consideraveris, nullum nisi de minimis reperies dissidium; nihil aliud exprobrat nisi alicujus loci obscuritatem, disputationis cujusdam inutilitatem, et alia hujusmodi quae non majoris momenti sunt. Hoc tantum de dialectica dictum sit ; nam in aliis philosophiae partibus, in Ethica, verbi gratia, gravius ab Aristotele dissentit Vives.

necesse est, quippe quae, ut jam dictum est, nihil aliud sit nisi dialectica peripatetica omnibus purgata vitiis quibus medio aevo decurrente infestata fuerat. Quod et clarius apparebit cum noveris ab illo disputationis puerilis acerrimo censore concedi pueros inter se de Grammatica disputare!

Num tamen ex hoc dicemus Vivem ingenio timidiore fuisse, nec suis censuris praecepta consentanea statuisse? Minime. Eo erat ingenio Noster prudenti ac moderato quod res antiquas restituere quam novas moliri malit. Architectum finge tibi quem pigeat aedes vetustas, at ipsa vetustate quodam modo venerandas, a fundamentis eruere, sed qui partes laborantes reficiat, jam collapsas erigat, sentes hic illic pullulantes inter fissuras resecet, luci largiorem et faciliorem aditum paret, habes imaginem Vivici laboris in Dialecticae partibus.

Articulus Quartus.

De Studio Naturae et de Mathematicis. — De Metaphysica.

Quaenam in scholis Physica traderetur? Quomodo illam tradendam et quam parum illi indulgendum esse existimet Vives ? — Eadem de artibus Mathematicis quaeruntur. — Quamnam Metaphysicam reprehenderit et quamnam ipse tradiderit?

Dialecticam « sequitur, ait Vives, naturae rerum cognitio, » quae complectitur « generationes et naturam plantarum, atque animantium,... causas cur quidquam fiat et quomodo... in caelo et nubilo et

sereno, in agris, in montibus, in silvis (1). » Sub nomine Physicae, Vives ut ceteri aevi medii Magistri, omnem rerum naturalium scientiam designat.

Hoc naturae studium diu ante quintum decimum saeculum, in scholis neglectum, scholasticos ea aetate diutius detinebat. Qui enim licentiam mox adepturi erant *Physici* vocabantur (2), quia curriculum studiorum quod percurrendum habebant, praeter alias artes, Aristotelis de Physica libros complectebatur : *Physicam*, *De Generatione et Corruptione*, *De Coelo et Mundo*, etc., etc. (3). Nemo nunc neget utile fuisse haec opera evolvere ; nam nostris temporibus suam reverentiam exhibere Aristotelis Physicae didicimus, quippe quae, inter densam errorum farraginem, multa vera et præcipue mirandam hanc de Motu doctrinam contineat (4). Nequaquam autem veri Aristotelici libri evolvebantur, sed translationes latinae, quae ipsae ex Arabica translatione, quae ipsa ex Syriaca, conversae fuerant (5), et simul interpretationes in quibus errores Magistri novis interpretum erroribus illustrabantur. Hoc nimirum tempore jam nonnulli erant qui Aristotelem ipsum vel in textu Graeco, vel in accurata translatione latina (6) lege-

(1) *De Tradendis*, lib. IV, p. 347 et seq.

(2) Cf. Thurot, op. cit., p. 102, et Massebicau (*Mémoires et documents scolaires*, fascicule n° 2 ; p. 9.

(3) *Bul.* V, 574.

(4) Cf. Barthélemy-Saint-Hilaire, in *Aristotelis Physicam* praefatio.

(5) Cf. Jourdain, *Recherches critiques sur les traductions latines d'Aristote*. Egger, *L'Hellénisme en France*, 3e leçon. Massebicau, op. cit.

(6) Cf. Jourdain, op. cit.

rent ; sed hi scholas non frequentabant, in quibus primus videtur fuisse Jacobus Faber qui vere et fideliter Aristotelis Physicam interpretatus est (1).

Vives vero altercationum pertaesus quas spurca Aristotelis proles circa hos libros de Physica excitabat, omnino prorsus rejiciendos existimare videtur ; nam « adeo duri ac difficiles sunt ut in omnibus rationem exigant vel sensibus expositam vel menti invincibilem (2) ; » insuper pleni sunt innumeris litibus quas intendit Aristoteles in veteres philosophos quibuscum etiam satis improbe agit, « nam invertit illorum vel sensa vel verba. » Vix librum *de Mundo* servat, « in quo phrasis jucundior est et perspicua magis, » et « volumen de Animalibus. » Inter veteres Latinos qui de natura scripserunt, Catonem, Varronem, Columellam, Plinium probat (3). Sed nullus illi alius liber magis assidue legendus videtur, quam natura ipsa, in cujus contemplatione perpetuo versari necessarium est, etiam cum otio indulgemus aut deambulationi vacamus. « Deambulatio ipsa atque otiosa contemplatio et schola est et magister, ut quae

(1) Massebieau, *Mémoires, etc.*

(2) *De Tradendis*, 347.

(3) Nullum inter recentiores legendum indicat, ex eo quod fere nullus de Physica scripserat. Decurrente enim XVI saeculo novem tantum auctores videntur fuisse qui de hac materia ad usum scholarum tractaverint (Cf. *Musée pédagogique*, fascicule n° 3) ; quorum duo opera sua ante edidere quam libros suos ederet Vives, Jacobus scilicet Faber, anno 1504 (introductio in *Physicam Aristotelis*) et Carolus Bovilus (*Physicorum Elementorum* libri decem), anno 1512. De his nulla fit mentio apud Vivem, qui tamen Geometriam Bovili editam anno 1503 commendat.

aliquid semper quod cum admiratione speculeris ostendit unde eruditio increscat (1). » Nec Baco, nec ille Newto qui inter deambulandum legem « attractionis » inventurus erat, aliter sentient. Sed haec verba minus feliciter addit Vives : « In naturae contemplatione primum sit praeceptum, ut, *quandoquidem scientiam ex his parare nullam possumus*, ne nimium indulgeamus nobis iis scrutandis et exquirendis ad quae non quimus pervenire, sed *studia nostra omnia* ad vitae necessitates, ad usum aliquem corporis aut animi, ad cultum et incrementum pietatis conferamus (2). » Et insuper addit : « Contemplatio rerum naturae, nisi actibus vitae inserviat aut sustollat nos in Auctoris notitiam et amorem, superflua est ac plerumque noxia. » Viden hominis etiam eximii levitatem et inconstantiam? Jam praesentit optimam rationem naturae investigandae usu et experimento constare; Novum Organum coepit institui : « cur urceus exit? » cur Pyrrhonis doctrina non Baconis hoc praemissum principium sequitur?

Ut Vivi ignoscamus quod nimium naturae studio diffisus sit, memores simus qua aetate scriberet, quod opus sibi assumpsisset. Physici medii aevi fidem fere omnem et dignitatem Physicae infirmaverant; nonnulli quidem Vivis tempore jam novas inibant vias, sed nondum rationem omnibus eam tradendi emendare potuerant. Physici, quos in scholis audiverat Vives,

(1) *De Tradendis*, 350.
(2) Ibid., 347.

erant « earum rerum inexperti ac hujus naturae quam melius agricolae et fabri norunt quam ipsi tanti philosophi. Isti naturae huic quam ignorarent irati aliam sibi confinxerunt nempe subtilitatum nugas (1). » Cum disputaverint « de raro ac denso, de motu uniformi ac difformi, uniformiter difformi ac difformiter uniformi (2), » credent omnem scientiam vel sibi compertam vel aliis traditam fuisse. « Ignorant tamen quae jacent ante pedes, dum quae nusquam sunt scrutantur (3). » Non mirum si tam futili studio fidem et auctoritatem denegat Vives et ab eo pueros avertere conatur : magistri prudentis sed non philosophi vices gerit.

Attamen moleste fero illum potius custodem animorum quam ducem in hac materia sese praebuisse; a corrupta doctrina arcuisse, non ad veram adipiscendam incitasse, et ad vitia praeterita adeo attendisse ut futuram emendationem desperaret et ullam ex naturae studio scientiam comparari posse negaret.

Liceat nobis hoc loco memorare, magis rerum et praeceptorum adfinitatem quam Vivicum ordinem attendentibus, quae de Mathematicis dixerit Vives. In his quoque brevis est, nec iis diu indulgere discipulum suum patitur. Illa partitur in Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam, Musicam, prout « circa quantum numeri, aut circa quantum molis terrestris

(1) *De Causis*, 191.
(2) Ibid., 196.
(3) Ibid., 197.

vel caelestis, aut circa quantum sonorum versantur. » Quas omnes artes colendas esse censet, cum ad usum vitae pertinere possint et « conducere ad cognitionem philosophiae ; Plato enim ex auditorio suo expellebat qui illuc venirent a Mathematicis deserti. » Sed ultra « primordia » progredi nequaquam necessarium, immo periculosum existimat : « Nam hae cognitiones, si quis progrediendo sibi indulgeat, in infinitum abeunt, et sollicita harum inquisitio a rebus vitae abducit, communisque sensus reddit expertes. »

Neque enim hoc tempus videtur oblitus fuisse Vives cum Mathematicos, una cum Magis atque Astrologis adeo infensis oculis vulgus intuebatur ut de eis diceret : « Si quis mathematicus fuerit, id est invocator daemonum (1). » Attamen quosdam Mathematicos noverat Vives nequaquam communis sensus expertes, et hos legendos commendat, inter quos Joannem a

(1) Apud multos (*Histoire littéraire*, t. XXIV, 505, et Benoist, *Quid senserit Erasmus, etc.*, p. 126) invenias relatum hunc Ebrardi Bithuniensis versum in quo dici videtur Ecclesiam a Mathematicis ita abhorruisse ut Mathematicos comburendos juberet :

Datque Mathēmaticōs cōmburi theologia,

Sed ut recte intelligatur ille versus (?) necesse est hic quoque referatur ejusdem auctoris versus :

Scire facit mathĕsis, sed divinare mathēsis.

Neglecta ipsa quantitate metrica, manifestum est Ebrardum discrimen inter scientiam et divinationem fecisse, et tantum Magos comburi *dedisse.* » — Cf. *Histoire littéraire*, t. XVII, 135.

Sacrobosco (1), Purbachium (2) et Jacobum Fabrum Stapulensem qui vel ex seipso vel ex illis « satis accommodate scribit ut in schola tradatur discipulis (3). »

Ante has artes et post Physicam, μετὰ τὰ φυσικά, ut ait Aristoteles, Vives collocat quae ad Primam Philosophiam pertinent, sive Metaphysicam generalem, quae tractat « de intimo naturae opificio, hoc est quibus ex causis, qua ratione oriantur singula, crescant, existant, intereant. » Ab hoc ordine studiorum et ab hujusmodi occultissimis quaestionibus amovendos esse pueros censebat Erasmus ; Vives vero, haec arcana illos adire sed non penitus investigare sinit ; quae in hoc studio vitanda potius quam agenda, et verbis quidem paucis, statuit. In hac tanta investigatione, ait, magister debet esse minime arrogans, nec dispu-

(1) Joannes a Sacrobosco, circa annum 1190 natus, primus in Occidente ediderat librum *De Sphaera Mundi* diu in scholis usurpatum et multis commentariis explanatum (quorum indicem reperias apud *Répertoire..., Musée pédagogique*). Ejusdem insuper erant *Libellus de anni ratione, seu ut vocatur vulgo computus ecclesiasticus*, et *Tractatus Arithmeticae qui dicitur Algorismus*, qui aliquid contulit ad pervulgandam numerorum rationem apud Indos solitam. — Cf. Maximilien Marc, *Histoire des sciences.*

(2) Purbachius (1423-1461) de *Arithmetica*, *Astronomia* et *Geometria* scripserat libros quos enumerat *Répertoire, etc.*

(3) Jacobus Faber (1455-1536) Stapulensis, inter censores veteris et novae praceptores disciplinae annumerandus est ; Aristotelis *Physicam* interpretatus est atque, ut vidimus, Scholasticorum Dialecticam fortiter impugnavit. Videtur docuisse philosophiam Lutetiae. Illius se vestigia secutum fuisse fatebatur Ramus. — Cf. *Mémoires et documents scolaires*, fascicule n° 2 et n° 3. Waddington, *Ramus, etc.*, p. 384. Ex cujus operibus hoc loco notanda sunt : *Elementa arithmetica*, *Elementa musicalia*, *Astronomica.*

tationum amans. Discipuli ingenium nequaquam sit « nugax aut inepte conjectans, item contentiosum. » Et hoc insuper addit Vives quod notandum videtur : « *Ne rationem ad omnia evidentem* efflagitet quae non potest ubique exhiberi par; convenit unumquemque contentum esse verisimilitudine. » Quod verbum non Cartesium praenuntiat certe, nec philosophum sonat; sed paedagogum ostendit suos discipulos amoventem a scholastica in infinitum ratiocinandi consuetudine.

Paedagogi quoque est liber ille quem ad usum puerorum scripsit *de Prima Philosophia*, ut illis traderet innocuam et nitidam, non vero novam doctrinam. « Eam ad rem nos, ait ipse, tentavimus opus scribere, ne haberemus gentilicia consectari tanto religionis discrimine (1). » Et in prooemio hujus Metaphysicae iterum dicit se eam scripsisse « ut proderet omnia si non exactius certe apertius quam Aristoteles, » nam Aristotelis libri « habent multum ingenii, sed obscuritatis et subtilitatis quoque. » Illius ergo Metaphysica ea est quae nec christianae fidei officiat nec mentem puerorum moretur seu rerum seu vocum obscuritate; in ea non invenias quae sentiat Vives de Controversia Realium et Nominalium, nullam disputationum materiam, nullum apparatum : sed breves et faciles notiones *de Deo*, *de materia* et *forma*, de *origine idearum*, quas Vives, ut scholastici, dicit non esse in intellectu nisi prius fuerint in sensu, de

(1) *De Trad.*, 351.

tempore, de *substantia* et *accidente*, etc., etc. Nil novi in hoc opusculo reperias nisi limpidam sermonis simplicitatem; forte primum exemplar est horum Enchiridiorum quaestiones philosophicas breviter complectentium, in quibus ita lucida et plana sunt verba ut et ipsae res lucidae et planae pueris videantur, et quae, si non altam tradunt scientiam, rudes tamen et teneras adhuc mentes philosophico sermoni clementer assuefaciunt.

Sed nunc agamus de Rhetorica, cujus in primis, leviter gustatis Naturalibus et Mathematicis artibus et ipsa Metaphysica, studiosus fuit Noster; in harum studio vel peregrinus vel discipulus videtur, in illius vero magister apparet et tanquam in suo regno versatur.

Articulus Quintus.

De Rhetorica.

Quaenam et quomodo Rhetorica in scholis medii aevi necnon recentium temporum traderetur? Vitia tum dialecticorum tum Ciceronianorum reprehendit Vives. Quaenam ipse et in quibus libris praecipiat de ratione Rhetoricam tradendi? De Imitatione. De Exercitationibus quae fiunt loquendo, legendo, scribendo. *De Conscribendis Epistolis.* — Paucula de Historia adduntur.

Ex tribus artibus quae in *Trivio* annumerabantur, Rhetorica, apud aevi medii magistros, vel cum Grammatica, vel cum Dialectica ita miscebatur ut ipsa non vere et proprie ars integra, tantum vero duarum aliarum provincia quaedam esse videretur. Illius pars quae in Inventione versatur summatim in *Topicis*

Boetii includebatur, et una cum illis tradebatur (1). Elocutio vero Grammaticae pars erat. Grammatica enim habebatur ut ars interdum simpliciter, interdum docte loquendi. « Peritus Grammaticus sibi duplex praeparat instrumentum, unum quo utitur ad plures, ut est sermo simpliciter congruus, et aliud quo utitur ad sapientes, ut est sermo figurativus (2). » Multa ergo scripserant Grammatici de Figuris, quas in duo genera dividebant : 1° *Grammaticas figuras*, seu *vitia sermonis annexa* quae definiebantur : « vitium ratione excusatum, » et vocabantur vel *Metaplasmus*, vel *Schema*, vel *Tropus*, prout « deviatio vitiosa fiebat vel a materia, vel a forma, vel a fine (3) ; » 2° *Colores Rhetoricos*, qui tantum consilio dicentis a figuris grammaticis differebant. « Si sermo ordinetur ad significandum tantum..., figurae verborum consideratae in sermone sic sumpto pertinent ad Grammaticam... Si consideretur in sermone prout ordinatur ad movendum virtutem concupiscibilem et irascibilem in judice, sic sunt primo de consideratione rhetorici (4). »

Exstat tamen Rhetorica quaedam, a Raymundo Lullo circa annum 1300 descripta, et quae inscribitur : *In Rhetoricen Isagoge*, ita ut eam credas a Grammatica et Dialectica omnino sejunctam esse. Sed, si ultra titulum legendo progressus fueris, nil

(1) Cf. Thurot, *De l'Organisation, etc.*, p. 82.
(2) *Notices et Extraits des manuscrits.*
(3) Ibid., p. 459, 460.
(4) Ibid.

aliud invenies nisi tritas vulgaresque sententias in partes innumeras fractas ac distributas; quod minime dividuum ac maxime simplex putes, auctor dividit, multiplicat, ordinat ; non cum rhetore tibi res est, sed iterum cum dialectico et aliis, qui aperte se dialecticam tradere confitentur, molestiore. Cum tamen, decurrente XV° seculo eo litterarum studio, quo jam Italia fervebat, partes Occidentales Europae ardere coeperunt, major auctoritas Rhetoricae fuit; proprios habuit magistros, quibus tamen usque ad annum 1534 Magistrorum Regentium dignitas ac privilegia negata fuere (1).

Quaenam vero illis primis rhetoribus fuerit artis suae tradendae ratio ex libro Guillelmi Ficheti, typis mandati circa 1471, inferre licet. Auctor valde queritur in prooemio « Rhetoricam Gallos nostros ad hoc tempus latuisse » ob eorum de Dialectica nimiam curam : « nam de philosophia disputare, disputata nudis verbis describere, plerisque nostratibus comi mune, idque feci facioque ut ceteri. At vero dicendi scientiam, non dico litteris mandare sed perpensius quidem cognoscere, nostrorum nemo conatus ad hunc diem est ; » « quocirca non defore » sibi veniam sperat, cum « viam nostris hominibus incognitam » aperiat. Quam veniam illi non negandam censemus quippe qui multum ea indigeat. Doctrinam quidem Ciceronis atque Quintiliani referre tentat; fingit tamen

(1) Bul. VI, 250, citat. Apud Thurot, *De l'Organisation de l'enseignement*, p. 92.

opus ad Raymundi Lulli exemplar. Postquam dixit Rhetoricam esse « artificiose loquendi rationem, » addit : Quinque rebus ad summum conficitur : Facultate, Fine, Officio, Materia et Instrumento. Facultas tribus rebus constat : Arte, Imitatione, Exercitatione. Officium quinque rebus, etc., etc. Unicuique rei sua est definitio, sua partitio, ex qua novae oriuntur partitiones. Exempli gratia ostendam quomodo unam e quinque Officii partibus, et eam quae tibi, rem prima fronte consideranti, quam paucissimas partitiones acceptura videatur, ille dividat, scilicet Pronuntiationem. Hoc schemate uti fas sit, quo facilius et brevius tota partitionum series conspiciatur :

Pronuntiatio est quae duabus rebus, *figura vocis* et *corporis motu*, conficitur :

- 1° *Magnitudo vocis* est quaedam vocis amplitudo quam natura comparat et cura nonnihil adauget sed maxime conservat.
- 1° *Figura vocis* est habitus vocis comparatus :
  - 1 Magnitudine.
  - 2 Firmitudine.
  - 3 Mollitudine.
- 2° *Firmitudo vocis* tenore crescit, dissonantia minuitur. . . . .
  - Tenorem assequimur.
    - Sedatione.
    - Reticentia.
    - Commutatione.
    - Sustentatione.
  - Dissonantia seu vitium tenori contrarium, depravat pronuntiationem cum vox est :
    - 1 Suffocata.
    - 2 Discontinua.
    - 3 Concisa.
    - 4 Dura.
    - 5 Inanis.
    - 6 Ingrata.
    - 7 Immodesta.
    - 8 Inaequalis.
    - 9 Uniformis.
    - 10 Aliena.
    - 11 Indecora.
    - 12 Agrestis.
- 3° *Mollitudo* in
  - 1 Sermonem.
  - 2 Contentionem
  - 3 Amplificationem repartita est.
  - 1° Sermo continet. . . . . :
    - Dignitatem.
    - Demonstrationem.
    - Narrationem.
    - Jocationem.
  - 2° Contentio effertur. . . . :
    - Continuatione.
    - Distributione.
  - 3° Amplificatio continet. . . :
    - Indignationem.
    - Conquaestionem.
- 2° *Corporis motus*. . . . . .

Cetera desideranda relinquo.

Scilicet novam hanc aperuit viam Fichetus ! In vestigiis scholasticorum haeret dum veteres rhetores sequi conatur ; a Cicerone et Quintiliano materiam,

a dialectica formam docendi accepit; et quod faciunt Dialectici, « id facit ut ceteri (1). »

Non longo post tempore, Guillelmus Tardivius, Ficheti aequalis, aliam confecit Rhetoricam (2), sed ita Quintiliani et Ciceronis verbis refertam ut jure *cento* quidam vocata sit (3). Scholastico quidem dividendi cacoethe videtur purgata, cum sex tantum et non sexcenta ut Fichetus, de Pronuntiatione statuat praecepta Tardivius; sed alia peste corrupta est, caeca scilicet Magistrorum veneratione. Quintilianus enim de superciliis disseruerat, quasi de histrione non de oratore res esset, et quomodo iis « contractis tristitia, deductis hilaritas, remissis pudor ostendatur, » docuerat (4); Tardivius, nil nisi miratione ac imitatione dignum a Quintiliano existimans dictum fuisse, cum Magistro et ipse dicit : « In superciliis multum agitur » et de superciliis disserit.

Manifestum est ex istiusmodi rhetoribus rhetoricam nihil profecturam fuisse. Eadem enim reverentia qua majores Aristotelem, hi Ciceronem et Quintilianum colunt; quidquid Magistri dixerint, caeca religione venerantur. « Rationem sponte quadam sequantur »

(1) Haec est vera totius operis partitio, neglecta quae in praefatione proponitur :

1° De generalibus rhetoricis inventionibus;

2° De speciali inventione et de dispositione;

3° De elocutione, memoria, pronuntiatione.

(2) « Guillermi Tardivii Aniciensis rhetoricae artis ac oratoriae Facultatis Compendium. »

(3) Thurot, *De l'Organisation*, p. 84.

(4) Cf. Quintilianum, lib. XI, c. III.

discipuli, aiebat ille Tardivius de scribendo praecipiens; rationem vero nec ille nec hominum litteratorum alii hac aetate secuti sunt; ita veteribus alligabantur ut horum mancipia viderentur, periculumque esset ne litterae vix renatae illico senescerent et jacerent. Ut olim dialectica tunc quoque rhetorica scholastica fuit, ea scilicet quae magistros et alumnos scholari in tirocinio semper retineret nec e discipulo virum evadere sineret. Sic, ille Melanchton, quo tamen pauci prudentiores fuere, tanta reverentia veteres Magistros prosequebatur, tantique eorum praecepta faciebat, ut de iis quae ad *Locos Communes* pertinent, diceret : « Nulla de re dici, de nullo scripto judicari posse nisi referat se animus ad hos locos eosque tanquam duces sequatur, » et existimaret « in omnibus parietibus eos locos scribendos atque sculpendos esse ut semper ob oculos versarentur (1). »

Ut de veterum praeceptis, ita de operibus sentiebant illorum rhetorum nonnulli; ea imitanda esse dictitabant, sed non ea imitatione qua quis utitur dum tiro est et quam deserit, cum, illius ope, sui potens factus jam virum se gerere et aliorum aemulus potiusquam similis esse debet; imitemur oportet, aiebat econtra Fichetus, « *ut* aliquorum similes esse valeamus (2). » Sic ad veterum similitudinem, non

(1) Mélancht., *Dialect.*, apud Benoist, op. cit.

(2) Apud Quintilianum legerat Fichetus : « Necesse est aut similes aut dissimiles bonis simus; similem raro natura praestat, frequenter imitatio. » Sed de hac materia Quintiliani doctrinam non satis dis-

ad aemulationem multi XVI[i] seculi homines attendere ; hic labor, hic error hujus aetatis fuit. Et quo certius et citius ad hanc simininam pervenirent similitudinem, veteres de verbo ad verbum transcribebant ; excerpta e Ciceronè aut Quintiliano Magistri volumina habebant unde alumnis esset copia quidquid in mentem veniret exprimendi. Hoc furandi genus imitationem appellabant : « Decerpunt, surripiunt, immo pallam compilant, et, ut furti crimen effugiant, imitari vocant, ut fures furari dicunt amovere, convasare. »

His et multis aliis verbis increpat Vives *imitatorum servum pecus*, quod tam lepide jam irriserat Erasmus (1) et in quod invectus erat Budaeus (2). Nullum e triumviris fugit « novos morbos prioribus seculis inauditos (3) » ea aetate litteris illatos fuisse, et multis studii puerilis emendatoribus emendatione quadam opus esse.

Quae vero ipse Vives ad sanam Rhetoricam tra-

cussisse, nec ad haec sequentia verba satis attendisse videtur : « Turpe est contentum esse id assequi quod imiteris, » et haec alia : « Adde quod quidquid alteri simile est necesse est minus sit eo quod imitatur. » (Quintil., lib. X, c. II.) Ut acute dictum est (Lenient, *De Bello Ciceroniano*), veterum potius simia fuit illa aetas quam similis.

(1) *Ciceronianus sive de optimo genere dicendi.* Illud imitatorum genus, « unius addictum jurare in verba Magistri, » Vives quoque insectatur. sed non urget ; illos ab Erasmo impugnatos fuisse memorat, et dialogi *Ciceroniani* argumenta « quia nota sunt omnibus » praetermittit (*De Causis*, 174.) Cf. *De Bello Ciceroniano apud recentiores commentariolum*, auctore Lenient. 1855.

(2) In *Commentariis Graecae linguae.*

(3) Vives, *De Causis*, 174.

dendam praeceperit, tum in duplici libro *De Causis corruptarum artium* et *De Tradendis Disciplinis*, in quo totum orbem scientiarum percurrit, tum praecipue in illo qui inscribitur *De Ratione dicendi* videre est. In hoc posteriore, scholasticos secutus, nec non Rodolphum Agricolam imitatus, Inventionem et Dispositionem omisit, quippe quae potius ad Dialecticam quam ad Rhetoricam pertineant, et tantummodo de Elocutione tractat. Primum, verba, verborumque Figuras considerat, — deinde « stilum » quem ridicule, ait, Rhetorici divisere in triplex genus, *simplex* scilicet, *temperatum* ac *magnificum* vel *sublime*, cum dicendi unicum sit genus scilicet conveniens et congruum, et cum haec sola danda sit lex ut perfecte « stilus » accommodetur tum ad res tractatas, tum ad personam dicentis, tum ad animos audientium, etc. ; — demum docet formas diversas orationis, id est descriptionem, narrationem, etc., etc., et « per occasionem et digressione quadam » Historiam, Fabulam, Poesim in quibus amplam exemplorum et argumentorum copiam orator inveniat (1).

Pleraque in hac de *Dicendi Ratione* et in tota

(1) Hic liber nonnullis visus fuit multa prolixiora et incondita continere. Non equidem hac densa brevitate ac lucida simplicitate praestat quam nunc invenire solemus in libris ad usum alumnorum ; nihil aliud esse videtur nisi praelectiones publicae quas auctor Lovanii habuerat, et quae hoc dicendi diffusum genus, hanc copiam, hos communes locos quibus indulgere solent oratores, patiuntur. Anguste et jejune dicebat Fichetus, res plenius et uberius diffundit Vives, sed non inordinate tamen, et hoc usus ordine intimo nec prominenti qui orationi congruit aut saltem sufficit. — Cf. Mgr Namèche (*Mémoire, etc.*)

Vivis Rhetorica accepta sunt a veteribus qui in hac arte fere nihil posteris inveniendum reliquerunt nisi quomodo praecepta ab illis statuta praesentibus rebus accommodanda essent. Non ergo operae pretium est Vivicam Rhetoricam discutere; potissimum est in illa investigare eam circa res praesentes curam qua in primis praestat nostri auctoris ingenium.

Suis aequalibus, qui nimium praeceptoribus confidebant et ab illis artem perfectam se accepturos arbitrabantur, hoc dicit Vives : « Nos discentium studia magis dirigemus ad viam quam ad finem; natura et exercitatio perficient a nobis inchoata, sine quibus *parum effectura est ars omnis.* » Illos vero qui, eadem aetate, tantum ad verba et voces attendebant, et neglecta doctrina, nugas quam elegantissimo sermone ornare ac explicare totum litterati hominis officium esse credebant, saepe admonet ut habeant « majorem de rebus quam de verbis curam. » Litteras quidem et hoc elegans et purum dicendi genus quanti faceret ostendit Vives; attamen non dubitat declarare se pluris adhuc res facere quam verba; multo malit « immundum spurcumque magnis de rebus sermonem quam de nugis comptissimum atque ornatissimum. » Itaque acriter carpit magistros qui id unum curant ut memoriae discipulorum ingerant verba tantum ex antiquitatis scriptoribus excerpta (1).

(1) « Quam inepti in his sunt qui collegerunt aliquot quibus discipuli in singulis vel causarum generibus vel orationis partibus uterentur, et dicta aliquot ex Demosthene aut Isocrate desumpta pro

Num ideo omnis imitatio est prohibenda? Minime. « Imitatione indigemus, » ait Vives, quia exempla altius animis inhaerent quam praecepta, atque oratoris eximii consuetudo plus valet ad eloquentiam tradendam quam omnes de Rhetorica libri. » Sed quaenam est vera ratio imitandi? Hanc Vives optime indicat : ad hoc enim imitator incumbere debet ut orationis, quam sibi proponit exemplar, intimam artem in se transferat, non autem voces et elocutionem sibi accommodet. Laudabilis ille *Ciceronianus* erit qui sibi adsciscere valebit « rerum praeteritarum et praesentium cognitionem, scrutationem sectatorum sapientiae, tractationem humani animi, colligendi acumen » et omnes illas virtutes « quibus omnia senatui, populo et judicibus persuaserit » Cicero. Virtutibus illis, potius quam « facultate verborum et dictionis » Ciceronis eloquentiam tu assequeris nec tamen compilabis. Sit tibi, exempli gratia, de re quadam dicendum de qua olim Tullius habuerit orationem; inspice, quaeso, quomodo romanus orator se gerat in hac materia tractanda, quam viam teneat, quam rationem sequatur, qua denique arte omnia moliatur. Considera « quid auctor in orationis exordio velit efficere, quid secunda parte, quid tertia et sic deinceps; quae primo dicat loco, quae aliis sequentibus; quibus sententiis, quibus argumentis utatur, quomodo colligatis et connexis...

formula nobis objiciunt dicendi; ... pueriliter sapere ac loqui juvenem suum docent. » (*De Causis*, lib. IV, p. 161.)

qua commissura priora posterioribus compingat, quae verba singulis partibus accommodet. » Quo facto, « tu artificium idem effingito, non eadem vel verba, vel sensa. » Vera ergo et justa Imitatio, ex Vivis doctrina, nostrum proprium ingenium perficit et auget; nec id efficit ut alieno noster supponatur animus, sed potius ut in nostrum transfundatur alienus, ita ut vis ejus dicendi quasi per nostram erumpat orationem.

Nihil invenies quod reprehendas in his praeceptis; unum forte desiderabis, quod Vives, ut qui de imitatione latinorum latine loquentibus praecepta dederit, non distincte expressit, quod tamen ex ejus doctrina tu colligere potes, scilicet imitationem discipulos qui in gymnasio versantur maxime decere eorumque ingenium fovere, sed *virum* minuere et refringere. Orator enim in diversis vitae fortunis quid sibi agendum et quomodo dicendum sit per se ipsum reperire debet nec perpetuo sibi exemplar quoddam proponere a quo serviliter pendeat. Nihil forte, nihil virile unquam invenies in eo qui semper sibi dicet : Quis mihi imitandus? ut ille, apud quemdam e nostris poetis, qui opus aliquod meditans exclamat :

> Cherchons un dénouement qui ne soit point banal;
> Qui pourrais-je imiter pour être original (1) ?

Rhetoricae quidem praeceptis regitur ac docetur dicendi facultas, longa autem exercitatione perficitur. Triplex vero genus est exercitationis ; fit enim vel lo-

(1) Coppée, *Le Trésor.*

quendo, vel scribendo, vel legendo. De primo genere aut nihil aut parum praecepit Vives ; nam quae de declamationibus dicit ad orationes scriptas atque memoriter enuntiatas, non ad orationes ex tempore prolatas pertinent. Quae vero praecipit de istius modi oratione enuntianda in sola actione, immo in sola pronuntiatione versantur ; qua de re multa ac minuta, ex Quintiliano relata, monet, non scholastico tamen, ut Fichetus, nec servili more, ut Tardivius.

Plura de scribendo praecepta statuit. Hoc exercitationis genus in scholis medii aevi nequaquam usurpatum erat ; in illis magistri legebant, discipuli audiebant ; illi codice, hi lectione, detinebantur ; ab alio accepta utrique retractabant, nec e suo quidquam proferre audebant. Vivis vero aetate, cum dicendi artem magni facerent litterarum fautores, et a Cicerone didicissent « stilum optimum et praestantissimum esse dicendi magistrum et effectorem, » scribendi mos in scholis revixit. Quae vero de hac exercitatione praecipit Vives, ad haec reduci possunt : 1° Scribendi materia versetur « de iis argumentis quorum aliquis sit deinceps usus in vita, et non de iis... quae numquam in vita contingerent. » — 2° « Ad meditandas scribendasque orationes in quietum locum secedant juvenes unde vox nulla, nullus strepitus audiri queat. » — 3° « Singulis hebdomadibus declamationem unam apud cunctum auditorium institutor corriget (1). » — Multos fructus ex hoc corrigendi genere percipi existimat

(1) *De Tradendis*, 361.

Vives; sed quo utilius discipulis, eo difficilius magistris esse dicit. « Difficillimum hoc est magistri munus; » oportet nunquam obliviscatur qui illo fungitur, « quo ingenio, quo usu, quanta prudentia et attentione sit opus. » Duo sunt illi praecipue cavenda : 1° ne discipulum in errorem inducat, probando aut omittendo vel minimum peccatum; 2° ne illius animum deprimat atque frangat asperius peccata reprehendendo.

De ea parte Rhetoricae quae ad Epistolas pertinet, separatim et quidem prolixius disseruit Vives, nam ingentem edidit librum (1) ut leges daret huic scribendi generi, cujus suprema lex est nulla lege adstringi.

Multa vero de parva hac materia scribere jamdudum apud aequales et apud majores mos valuerat; exstiterant, decurrente medio aevo, libri « de Arte Dictaminis, » de « Dictandi introductionibus (2), » seu « Epistolarium (3), » seu denique « Formularium valde utile Epistolarum (4). » Recentius Nicolaus Perrotus volumen ediderat *De Componendis Epistolis*, in quo decem epistolarum genera distinguebat : sunt aliae, aiebat, « de rebus divinis, » aliae « de moribus, » aliae « de rebus novis qualescumque acciderunt, » aliae « commendatitiae, » aliae « hortatoriae » et demum « amatoriae (5). » Omnes autem

(1) *De Conscribendis Epistolis*, Op. tom. II (Valentiae, 1782).
(2) Cf. Thurot, *Not. et Ext. des manusc.*
(3) Ibid.
(4) Ibid., p. 91, 24, 25, 37, 38, cit. apud Benoist, *Quid senserit, etc.*
(5) *Hist. litter.*, tom. XXIV, 465.

ceteros superaverat Erasmus amplitudine sui tractatus *de Ratione conscribendi Epistolas*, qui ad 123 grandissimas paginas, in-folio, minusculis litteris excusas (1), extenditur. Vehementer erraret qui hoc immane volumen ad puerilem usum aliquid conferre crederet; auctor in his lepide et facete, multis veterum locis prolatis, disserit, eodem fere modo quo in ipsis epistolis, quarum artem docet, disserebant hujus aetatis eruditi viri. Quae epistolae non ad unum quemdam destinabantur, sed ad omnes renascentium litterarum atque puri et elegantis sermonis amatores; loco ephemeridum habebantur et earum instar per manus tradebantur. Nonnullos quidem fuisse qui hoc per artificiosas epistolas commercium aspernati fuerint, libenter crederem, nam Erasmus aiebat : « Sunt qui non ferant epistolam nisi inelaboratam; » sed ii paucissimi fuere in hac doctorum ingeniorum societate quam postea Racanius « civitatem latinam » appellaturus erat. Nunc habes quare Vives ipse suum libellum de Epistolis, non parvis 40 paginis inclusum, confecerit. Neque enim ab Erasmi libro, nisi forte

(1) Op. Basileae, 1540 edita p. 297-420. Referam hos, inter ceteros omnes, capitum titulos : « De Compositione, — De proponenda materia, — Exercitatio et Imitatio, — Salutationis formulae, — Novae salutandi formulae, — De epithetis, — De epithetis Principum, Magistratuum, cognatorum affinium, — De transfigurandis epithetis. — Quomodo dicendum : Vale; — Vale dicendi formulae aliquot, — Epistolarum genera, — De exordio epist., — Abruptum epistolarum initium, — De exemplis, — De varietate et ordine exemplorum, — De amplificatione, — De figuris, — De commendatitia epistola, — De amatoria epistola, — De demonstrativi generis et judicialis epistola, etc., etc. »

brevitate differt; quaedam tamen praetermittit Vives de quibus Erasmus fusius disseruit, *Epistolas Amatorias* verbi gratia, et *earum duplex genus*. — Ceterum sic materiam suam partitur : 1° *De Inventione Epistolarum*, in qua notantur *res* per Epistolas tractatae : sunt enim vel *nostrae*, vel *alterius*, vel *honestae*, vel *mediae*, vel *turpes* « quas nec decet bonum virum petere nec petitas concedere ; » 2° *De Dispositione et Partibus* Epistolarum, seu de *suscriptione*, *titulo*, *epithetis* et de *ordine* in iis scribendis, qui « quamvis non sit certus, molles quosdam transitus ac lepidos » patitur ; 3° *De Dictione*, quae « illud debet potissimum efficere ut quam proxime poterit sermonem familiarem exprimat, prudentum dico et eruditorum sermonem. » Additis pauculis de « salutandi formulis et resalutandi, » hoc praeceptum statuit, quo cetera feliciter et quam sapientissime concluduntur : « Ars cum celari ubique par sit, tum in epistolis adeo debet esse tenuis ac prope nulla ut a magnis ipsis artificibus vix queat deprehendi. »

De legendo saepius et fusius disseruit noster. Toto enim perlustrato Graecitatis atque Latinitatis cursu, scriptores insignes notavit ac designavit. Cujus tam longi itineris tutum ducem se praebuisset, ni Lucanum Vergilio anteposuisset (1). Sed quid de tot Grae-

(1) « Omnes verborum majestate et argumentorum viribus et sententiarum pondere ac numero vincit meo judicio Lucanus. » (*De Ratione puerilis Studii.*) Superius vero dixerat : « Vergilius primus ponitur merito mea sententia propter gravitatem et sententias » (*Ib.*). Sed dubium est utrum hoc loco Vives significaverit, Vergilium primum esse ex omnibus poetis, an primum pueris legendum esse.

cis ac Latinis scriptoribus senserit non nobis est referendum. Hoc tantum a nostro consilio non alienum erit memorare Vivem in poetas asperrime invehi, qui bonis moribus tam parum consulant, et prohibere ne illi pueris tradantur nisi accuratissime expurgati.

Hic vero occurrit quaestio de his libris qui inscribuntur : *Excerpta* et in quibus solis multi auctores etiam optimos legere solent. Pullulabat enim eo tempore haec Excerptorum seges, propter librorum inopiam ; quae quidem tum legentium utilitati, tum auctorum gloriae detrimentum afferre his verbis declarat Vives : « Inventi sunt in omni genere studiorum qui desidiae consulerent collectis ex lectione veterum quibusdam ceu flosculis, ne priscos illos posteri haberent perlegendos homines... centones hujusmodi pro solidis magni nominis auctoribus complexi sunt. Ita nunc Hieronymus, Chrysostomus et prisci illi religionis nostrae scriptores non ex suis ipsorum monimentis cognoscuntur, sed ex collectaneis sententiarum Petri Lombardi, ex Catena Aurea Divi Thomae, et aliis rhapsodiis ejus notae... Detruncatus est Lutetiae Aristoteles et traditus vix dimidiatus ... Ne sic quidem breviaria haec lectores inveniunt, longum existimatur ea percurrere, sit satis indices aut rubricas percurrere. Qui possunt auctorum sensus percipi deserti et destituti suis velut fulcimentis (1)? »

Quas insectationes hic non transcripsissem nisi in

(1) *De Causis*, lib. I, c. VIII, p. 61.

memoriam revocassent non minus vehementer in eadem Excerpta insectatum fuisse alium hominem qui ad pueros instituendos non parum contulerit, Napoleonem I^um^ dico, cujus verba referre fas erit : « On nous instruisait très mal à Brienne ; j'avais quinze ans, on ne me mettait entre les mains que d'insipides extraits... Des extraits! méthode pitoyable! la jeunesse a du temps pour lire longuement et de l'imagination pour saisir toutes les grandes choses (1). » Et vero quam multi exstitere discipuli qui pessimo hujusce modi librorum beneficio totum studiorum curriculum perlustraverint, laureas et gradus adepti fuerint, nec tamen optimos, seu veteres, seu recentiores, scriptores plane cognoverint, illos etiam in quibus plurimum temporis consumpserint? Constat tamen pueris non tantum suppetere temporis nec ita intentum animum esse ut omnes scriptores ad extremum legant. Optima ergo ratio in legendis scriptoribus haec esse videtur, quam Vives non improbasset et qua usa est nostra aetas : hi libri scilicet in manibus puerorum tradantur integri (expurgati quidem, cum res postulaverit) quos cognoscere maxime expedit, Excerpta vero illorum quos ex integro legere pueris non vacat aut minime libet.

Jam totum « adolescentiae curriculum » et orbem scientiarum quibus instituendum esse puerum censet Vives percurrimus. Attamen non possumus tacere omnino quae idem dixerit de legenda historia, quippe quam,

(1) Villemain, *Souvenirs contemporains, M. de Narbonne*, p. 157.

ut vidimus (1), ad omnes artes et praesertim ad Rhetoricam aliquid conferre existimet. Principio hunc historicum legendum jubet « qui ab ultimis temporibus ad nostram memoriam aut ei proximam historiam tenore uno contexat, ut summa quaedam proponantur omnia (2). » Neminem fugiat geographiam, seu « locorum notitiam » in primis historiae necessariam esse (3). Quam notitiam Vives commendans dissentit a quibusdam suis Universitatis Lovaniensis collegis, qui tanto odio hoc studium persequebantur ut Erasmo Pomponii Melae Geographiam docere agresso « nihilominus obstiterint quam si parasset totam hanc urbem incendio miscere (4). » Quibus vero rebus in Historia relatis maxima debetur cura? Bellisne et militum gestis? Minime. « Non aliter legenda vel dicenda haec quam latrocinia, » ait Vives, quem certe plausu exciperent universae concordiae nostra aetate acerrimi fautores ; talia « notanda solum, addit, non accurate persequenda. » Major et fere tota detur opera togatis rebus, et omnibus quae sapienter et probe dicta aut facta fuerint. Cur tam multi brevius in his quam in nefandis aut improbis facinoribus versantur historici? Indignum profecto est pravarum « affectionum nostrarum opera mandari memoriae, non item consilii ac rationis. »

Inter historicos, tum veteres, tum recentes, tum

(1) Cf. supra, c. IV, art. 1^er^.
(2) *De Tradendis*, 393.
(3) Ibid., 392.
(4) Erasm., *Epistol. Ludov. Viv.*, apud Benoist, cit. p. 137.

ethnicos, tum christianos, multos mendaces fuisse admonet Vives, nec omnibus parem tribuendam esse fidem. Attamen celeberrimos ex veteribus, Herodotum scilicet, Xenophontem, Thucydidem, Livium, Tacitum, etc., etc., perlegi jubet; inter recentiores, quatuor tantum invenit « paulo digniores historici nomine, » Gallos scilicet Frossardum, Monstreletum et Philippum Comminium, et Hispanum Valeram. Illos quidem arguit tum praecipua omisisse, ea scilicet « quae ad usum conducerent, » ut de rebus levissimis diceret, tum nullas illas « conciones admiscuisse quas juvet legere; » sed tantum quosdam « dialogismos ac sermones, » et adeo frigidos ut mirum sit « esse tam patientem ullum stomachum qui possit illos devorare. » Attamen omnes has acerbas reprehensiones temperat his verbis in quibus declarat eosdem Valeram, Comminium, Monstreletum et Frossardum « legi et cognosci non minus dignos esse quam plerique de Graecis vel Latinis (1). »

Nos juvat hac mentione auctorum, qui linguis vulgaribus scripserunt, concludere omnia quae de tradendis artibus dixerit unus e studiosissimis litterarum Graecarum ac Latinarum fautoribus.

(1) *De Tradendis*, 400.

CONCLUSIO.

Nunc omnibus videbitur « principatum judicii » (1) jure obtinuisse Ludovicus Vives inter omnes aequales quibus curae fuit puerorum institutio. Ad linguas alii, vel ad philosophiam, vel ad naturae cognitionem magis contulere; Vive autem nemo tutiorem puerorum ducem sese praebuit, nec Erasmus ipse, nec Budaeus, nec Ramus, nec Rabelasius, nec Montanius.

Erasmi « discipulum » ac « filium » sese libenter ac saepe profitetur Vives, nec negat multa ab illo se accepisse; quin immo dicas eum ejusdem imitationem affectare. Iisdem enim fere titulis ac Erasmus suos de pueris instituendis libros inscribit. Erasmianis libris : *De ratione studii epistolae duae*, — *De conscribendis Epistolis*, — *Colloquia*, — *De pueris statim, ac liberaliter instituendis*, — *Christiani matrimonii institutio*, — respondent Viviani : *De ratione*

(1) Majansius, *Vita Viv.*

studii puerilis Epistolae duae, — *De Conscribendis Epistolis*, — *Exercitatio linguae latinae*, colloquiorum more, — *De tradendis disciplinis*, — *De institutione feminae christianae* et *De officio mariti*, — In quibus Vives non tantum suam sed Erasmianam quoque doctrinam tradit, sive de prima et materna educatione tractat, sive puellas edoceri jubet, sive bonae valetudini corporis consulit, sive paedagogiorum regimen et paedagogorum mores increpat, sive demum Pseudo-Dialecticos qui litteris minime et Ciceronianos qui intemperanter uterentur insectatur. Sed non adeo vestigiis Erasmi institit ut nunquam ab illo discederet, et in hujus recentis magistri verba jurare addiceretur ille qui se nemini veterum addictum patiebatur. In quibusdam erravit Erasmus, in iisdem rectius sensit et prudentius egit Vives. Sic 1° amovit quaecumque verba parum pudica essent et qualemcumque in monachos ant sacerdotes irrisionem, quibus non satis pepercerat Erasmus et quae puerorum moribus semper officiunt; nam maxima reverentia et pueris et a pueris debetur, neque unquam cum nullo morum detrimento illi res sacras aut homines sacros irridere didicerunt. 2° Dialecticae plus tribuit quam Erasmus qui « non semper ei hostis sed nunquam socius est et a dialectica qualicumque abhorruisse videtur. » 3° Vernaculas ac recentiores linguas, quas Erasmus aspernabatur, colendas esse ipsis eruditis viris censuit.

Num ideo his verbis Erasmi ad Thomam Morum scribentis assentiemur : « De Ludovici Vivis ingenio

gaudeo meum calculum cum tuo consentire; is unus est de numero eorum qui nomen Erasmi sint obscuraturi? » Minime. A nullo enim aequalium nomen Erasmi obscuratum fuit; sed in Erasmiana luce latere Vivis nomen iniquum esset, quandoquidem hic non minore cultu litteras prosecutus est judicioque tutiore totum disciplinarum curriculum perlustravit.

Budaeus vero, qui merito Graecarum litterarum in Gallia restitutor vocatus est, pauca de aliis artibus et de pueris instituendis praecepit (1). In his praecipue duobus videtur fuisse versatus : 1° in tuendo litteras renatas adversus homines qui « maledictis... et vatiniano odio » eas et « earum studiosos (2) » prosequebantur; 2° in Hellenismi studium fovendo et quam plurimis discipulis pervium reddendo. Ex quo apparet illum « triumvirum » potius litterarum et Hellenismi patronum quam puerorum praeceptorem fuisse, et duobus aliis triumviris in summis et praecipuis tantum rebus, non in his minutioribus quae ad scholarum regimen pertineant socium sese addidisse.

In pluribus Ramus Vivem secutus est, ita ut illius discipulus nonnullis, immo plagiarius scriptori cuidam visus fuerit (3). Vivi quidem assentit, sive in-

(1) In opere quod inscribitur : *De Studio litterarum recte ac commode instituendo*, totus fere est in confutandis illis hominibus qui litteras et Hellenismum impugnabant. — Cf. Rebitté, op. cit.

(2) *De Studio litterarum, etc.*, cit. apud Rebitté, p. 181, 182.

(3) P. Rapin, *Réflexions sur la philosophie* (§ XXV) : « Ramus copia... Louis Vivès pour s'ériger en novateur... » Apud Waddington, *Ramus*, p. 383.

sectatur illam docendi « altercatoire et questionnaire » rationem, quae nondum in Universitate Parisiensi obsoleta evaserat, sive ipsius Universitatis regimen reprehendit, sive de utilitate scribendi monet, sive magistrum in docendo quam paucissimis uti regulis praecipit, sive a rege petit ut Magistri « de publico salarium accipiant (1); » idem Vivis discipulum se praebere videtur cum vernacula lingua ad Dialecticam et Grammaticam tradendas utatur. Sed Vivico judicio impar est cum in Aristotelem ita bacchatur ut *commentitia esse omnia apud Aristotelem* disputet.

Vivis et Rami fuit socius *Rabelasius* in hoc acerrimo bello quod hujus aetatis eruditi viri gesserunt adversus Pseudo-Dialecticam, argutias et nugas disputationum, seu « Barbouillamenta Scoti. » Universitas Parisiensis, quae Vivi ut *anus quaedam delirare* videbatur, a Rabelasio ostenditur praedicans se « nunquam ratione usam fuisse. » Easdem quas Vives scholarum sordes, scholasticorum ignorantiam, et putidam magistrorum arrogantiam, ille irridet. A Nostro tamen differt in artium tradendarum ratione : plus temporis et fidei naturae studio tribuit; suum *in omni re scibili et quibusdam aliis* versari discipulum jubere videtur, quod a plerisque improbatum fuit. Sed a Vive quam maxime dissentit cum hanc unicam

(1) Vives, *De Trad. discipl.* — Ramus, *Avertissements au Roi sur la réforme de l'Université de Paris* (1562) : « Sire, donnez-leur gages. » — Apud Compayré, *Histoire critique des doctrines de l'éduc.*, p. 140.

legem suae abbatiae incolis praescribit : « Fay ce que vouldras, » immemor se jam dixisse « *scientiam sine conscientia animi exitium evadere*, » et « omni tempore Deum colendum et amandum esse; » quae posteriora verba, christianam et Vivicam doctrinam redolentia, cum prioribus minime concinunt, cum Deus multis voluntatem et conscientiam legibus constrinxerit.

Non tantum naturae studio quantum Rabelasius, sed nec tantum litteris quantum Vives tribuit *Montanius*, nec velut ille voluntatem omni lege solvit, non autem velut hic christianae religionis praeceptis ligavit; in informanda enim voluntate per ethices naturalis praecepta, et regendo judicio totus fuisse videtur. Disciplinae enim finem dicit esse mentem effingere non refercire, et ideo satis esse omnium artium summa fastigia, aut, ut ipse ait, « la crouste premiere, » carpere.

De Rabelasio ac Montanio acute dictum fuit ab utroque scientiae et conscientiae societatem commendatam fuisse, sed ab uno plus scientiae, ab altero plus conscientiae consultum fuisse (1). Vives vero pariter scientiae ac conscientiae consuluit, illam a corruptionis causis, tum recentibus, tum antiquis, purgavit, hanc per omnes artes recte ac christiane traditas confirmare ac perficere conatus est, ita ut merito inter praecipuos ac prudentissimos puerorum magistros annumeratus sit, et summam inierit gra-

(1) Compayré, op. cit., p. 115.

tiam ab omnibus qui vel colendis disciplinis vel servandis moribus operam impendunt.

VIDI AC PERLEGI.

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, a. d. v nonas mart. anni MDCCCLXXXVII.
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :

Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

FINIS.

ERRATA

P. 5, pro : *ac proinde ne puellas*, lege : *proinde puellas.*
P. 12, lin. 3, pro : *videatur*, lege : *videtur.*
P. 13, l. 9, pro : *continuoquae utilitas*, lege : *continuo ostendit quae.*
P. 20, pro : *ut ediscenda*, lege : *ut ille ediscenda.*
P. 22, ultima linea, deleatur punctum post *memorandi sunt.*
P. 30, pro : *choreo*, lege : *chorea.*
P. 41, l. 22, 23, pro : *usus comprobavit detur*, lege : *comprobavit. Videtur.*
P. 52, pro : *funestu mei*, lege ; *funestum ei.*
P. 72, pro : *Erasmiane*, lege : *Erasmine.*

TABULA

PROOEMIUM. . . . . .

CAPUT PRIMUM.

De totius disciplina fine. — Num a Deo avertant litterae aut profanorum libri ?. 9

CAPUT II.

De parentibus, primis pueri magistris. — Expediatne puellas artibus erudire et quibusnam artibus. 16

CAPUT III.

De schola et magistris. 33

CAPUT IV.

De artibus quas pueri edocendi sunt. 48
ART. I. — Index illarum artium et summa eas tradendi ratio. 48
ART. II. — De linguis. 55

Art. III. — De dialectica.. 68
Art. IV. — De Physica, de Mathematicis, de Metaphysica. 75
Art. V. — De Rhetorica.. 83
Conclusio.. 103
Errata.. 109